

L. ANNAEI SENECAE

LIBER

DE PROVIDENTIA.

L. ANNAEI SENECAE

LIBER

DE PROVIDENTIA,

SIVE

QUARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, CUM SIT PROVIDENTIA.

RECENSUIT,

VARIETATE LECTIONIS,

ET

ANNOTATIONE INSTRUXIT

B. A. NAUTA,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

MDCCCXXXVIII.

PRAEFATIO.

Si de veterum, qui Romae et in Graecia floruerunt, philosophorum excellentia quaerimus, haud sciam an principibus annumerandus sit L. Annaeus Seneca. De quo viro sic Plutarchus (1) judicavit, Graecos quem in moralibus cum eo compararent, habuisse neminem. Et profecto libros ejus si evolvimus, pleni ubique sunt sententiis pulcherrimis, sublimibus, mirum redolentibus virtutis ac sapientiae studium. Quam egregia sunt, quae de Diis scribit! « Dii, » inquit, « omnium rerum optimi auctores: « qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis « perseverant. » *de Benef. L. 7. c. 31.* In quo licet *Deos* memoret, sive quod populo scribens popularem opinionem sequeretur, sive quod soli et lunae ce-

(1) In iis quidem Plutarchi, quae nunc habemus, haec non inveniuntur, sed Petrarcha, qui et alios libros hodie deperditos, ut Ciceronis *de Gloria* vidit, Plutarchum ita confessum esse scribit in *Epist. contra Gallum*, unde Lipsius attulit.

ceterisque sideribus Divinam tribueret naturam (2), e multis tamen locis apparet, Senecam unum Deum ceteris omnibus longe superiorem agnovisse, « custo« dem rectoremque universi, animum ac spiritum, « mundani hujus operis dominum et artificem," ut scribit *Nat. Quaest. l.* 2. *c.* 45. « Is," ut ait *ibid. l.* 1. *Praef.* §. 13. « totus ratio est." Praeclare quoque sensit de summo bono, non in rebus externis positum id judicans, sed in animo sancto, pio, forti, nec fortunae tela, nec mortis adventum reformidanti (3). Mortis enim meditationem cum Socrate et Cicerone (4) praecipuum faciebat philosophiae munus, qua de re loca passim sunt eximia, veluti *Epist.* 30. §. 3: « Magna res est haec, Lucili, et diu dis« cenda, cum adventat hora illa inevitabilis, aequo « animo abire." Atque omnino de rebus Divinis hominumque bonorum cum Deo necessitudine, ad quem post hanc vitam redituri essent, ita disserit, ut non mirum videatur, fuisse (5) qui sapientiam hanc e san-

(2) Colligitur hoc e *cap. ejusd.* §. 2, ubi dicit homines esse, qui solem quidvis potius quam deum appellarent, add. *ibid. l.* 6. *c.* 23. et *Epist.* 73. §. 6. Similiter Plato in *Epinomide*, *p.* 490. propter pulcherrimum stellarum cursum animatas eas esse statuerat. Cf. Cicero *de Nat. Deor. l.* 2. *c.* 15, 16.

(3) Vid. inprimis *Epist.* 31, 41, 115.

(4) Plat. *Phaed. p.* 13, 19. ibique Wyttenb. Cic. *de Senect. c.* 20.

(5) In his Bruckerus, qui tamen aliam atque alii viam ingressus ostendere studuit, Senecam, Epictetum et Antoninum Caesarem, quo majorem suae philosophiae auctoritatem conciliarent, aliquas et sententias et verba Christianis sublegisse. Vid. ejus *Miscell. Hist. Philos. Lit. Crit. Observ.* 9. *de Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus.* Quae sententia si vera sit, simili modo Seneca sum-

sanctissimis Christianae doctrinae fontibus haustam esse crederent: a quibus tamen merito dissentire mihi videntur Erasmus *Praef. Opp. Senecae*, Modius *Novantiq. Lection. Epist.* 21, et *Clar.* Wyttenb. *Disput. Stolp. de Unitate Dei*, *p.* 33 *sqq.*, *Bibl. Crit. vol.* I. *part.* 2. *p.* 118.

Magnam igitur Senecae scripta commendationem habent a rerum, quae in iis tractantur, gravitate atque utilitate, eoque majorem, quod non scripsisse tantum illa, sed sensisse videtur, idque egisse, ut vita cum sermone concordaret, quam propositi sui summam dicit *Epist.* 75. §. 2. (6). Fuere quidem, inter quos Dio Cassius (7), qui luxuriae Senecam avaritiaeque accusarent, sed ea crimina post Lipsium refellit nuper Reinhardtus in libello *de L. Annaei Senecae vita atque scriptis*, *Jenae* 1816. Idem vitia, quae in ejus dicendi genere (8) culpari solent, excusanda esse monuit partim temporum, quibus vixit, conditione, partim Stoicae, quam secutus est, philosophiae studio, contraque multis ejus scripta virtutibus excellere.

Qua-

sumserit quaedam a Christianis, quo sumsit ab Epicuro; qua de re scribit *Epist.* 2, §. 4. » soleo enim et in aliena castra transire, non » tanquam transfuga, sed tanquam explorator:" nisi quod Epicurum nominaret, illos ut homines *ἰδιώτας* et *ἀφιλοσόφους* taceret.

(6) Cf. *Epist.* 24. §. 18: » Turpe est aliud loqui, aliud sentire: » quanto turpius, aliud scribere, aliud sentire?"

(7) Etiam Comes Oxenstiern *Pensées p.* 158. *sq.* satis acerbe de Seneca judicat.

(8) Eloquentiae quidem curam quo loco censuerit, ipse declarat *Epist.* 40. §. 11: » Fabianus vir egregius et vita et scientia, et quod » post illa est, eloquentia quoque."

Quarum virtutum causa dignus mihi **Seneca** visus est, in cujus aliquo scripto peculiari editione divulgando vires meas qualescunque periclitarer. Licet enim ipsa illa materiae argumentique ratio effecerit, ut multis multorum editionibus universa **Senecae** opera repetita sint et commentariis illustrata, non tamen post **Mureti**, **Lipsii**, ceterorum labores nihil relictum esse existimandum est, siquis unum quendam libellum sibi selegerit. Ita enim fieri solet, ut in minori mole majus insumi possit otium, cura, diligentia. Mihi autem prae ceteris arrisit parvus ille, sed aureus liber, qui inscribitur *de Providentia, sive quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia.* Cui libro num per hanc operam novae quidquam lucis aut gratiae accesserit, aliorum sit judicium: mihi quidem egregiarum, quibus refertus est, sententiarum pertractatio incredibile quantum voluptatis peperit.

Libri autem indoles et praestantia quo facilius intelligatur, pauca de illo universe praefanda esse duxi. Agit *de Providentia, sive quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia.* Sic enim cum **Lipsio** et **Ruhkopfio** titulum (9) constituamus, qui alibi aliter legitur. Vidi in Bibliotheca Leidensi veterem editionem Senecae impressam Tarvisii per Bernardum de Colonia A. 1478 (10), quae sic habebat: *De*

(9) Duplici nomine saepe veteres opera sua inscripserunt, ut **Cicero** *Brutum, sive de Claris Oratoribus*, ipse **Seneca** *de Constantia sapientis, sive quod in sapientem non cadit injuria.*

(10) Videtur haec esse illa editio Tarvisina, de qua laudantur ab Harlesio **Denis** *Memorab. Bibl. Garell. p.* 69. et **Gemeiner** *de*

De mundi gubernatione divina providentia. Et qualiter multa mala bonis viris accidunt. Henr. Stephanus *Proodopoeia ad lect. Sen. p.* 217. librum appellat « De divina providentia, vel potius « absque adjectione, De providentia (quem alii in- « scribunt, quare bonis viris mala accidant, quum « sit providentia)." Intelligi puto Muretum, qui *Orat. vol.* II. *orat.* 3. scribit: »constat, veram illius « (commentarioli) inscriptionem non esse eam, quae « vulgo recepta est, quam ego tamen, ne omnia no- « vare dicerer, retinui, *De providentia*, sed *quare « bonis viris mala accidant, cum sit providen- « tia* (11), ut constat ex Lactantio in libro de ira « Dei." Lactantii locum (V, 22. *p.* 495. *Heumanni*) Ruhkopfius attulit, qui quod egregiam hujus libelli commendationem continet, hic etiam apponendus visus est: « Si quis autem volet scire plenius, « cur malos et injustos Deus potentes, beatos et di- « vites fieri sinat, pios contra humiles, miseros, ino- « pes esse patiatur; sumat eum Senecae librum, « cui titulus est: quare bonis viris multa mala acci- « dant, quum sit providentia; in quo ille multa, non « plane imperitia seculari, sed sapienter ac paene « divinitus locutus est."

Argumentum e gravissimis esse, nemo facile negaverit. Non est quod miremur homines antiquis temporibus, quando viderent pietatis et virtutis amantis-

de libris rarior. in Bibl. Ratisbon. p. 50. Memoratur etiam a Fabricio *Bibl. Lat. Tom.* II. *p.* 110. *ed. Ern.*

(11) Hanc inscriptionem solam edidit Andr. Schottus: eandem probavit Fabric. *l. l. p.* 104.

tissimos non modo communibus hujus vitae aerumnis non exemtos, sed gravioribus saepe quam ceteros calamitatibus premi, mortales igitur hoc videntes in istam opinionis perversitatem incidisse, ut vel Providentiam omnino tollerent, vel bonitatem ejus et justitiam in dubium vocarent. Hinc illa Lucretii: « quare, inquit, telum hoc cladium

« exanimatque indignos inque merentes?"

Nota quoque sunt Ovidii:

« Cum rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso),
« Sollicitor nullos esse putare Deos."

Ne Tacitum quidem ab hoc errore immunem praestare cetera virtus potuit, qui *Annal. l* 16. *c.* 33. de Cassio quodam Asclepiodoto, qui fidem etiam in duris rebus amico servaverat, ita scribit: « exutus« que omnibus fortunis, et in exsilium actus; aequi« tate Deum erga bona malaque documenta (12)." Et ipsum Senecam *de Benef. l.* 7. *c.* 31. querentem

(12) Lipsius, quo Tacitum impietatis culpa liberaret, locum depravatum censuit, quod tamen neque Gronovio, neque Ernestio persuasit, *aequitatem* interpretantibus *indifferenter aliquid ferre*, *nihil ad id commoveri*, allato loco Ciceronis *Agrar.* 1. (*c.* 5). Ceterum qui plura de hoc argumento velit, adeat Minucii Felicis *Octavium p.* 40—42. *ed. Ouz.* ubi Interpr. ingentem locorum sylvam collegere, quibus addi possit, quippe cum nostro libello in multis conveniens Theodoreti *de Provid. sermo* 9, *ὅτι οὐκ ἄκαρπος τῆς δικαιοσύνης ὁ πόνος.* Vid. etiam *Rev.* Montyn *Respons. de argum. Teleologico*, *p.* 133 *sq.* in *Ann. Acad. Traject. A.* 1822—1823. Neque possum, quin hoc loco memorem egregiam illam Pricii (R. Price) *de Provid.* disputationem, quam cum tribus aliis ejusdem disputationibus ex Anglico sermone in nostratem versam pro solita sua comitate commodavit mihi Clar. Senex M. Tydeman.

tem audimus, quod alius Diis objiceret negligentiam nostri, alius iniquitatem.

Ex horum numero fuisse Lucilium Juniorem, ex hoc libro, qui ad eum scriptus est, intelligimus. Cui Seneca cum *Epist.* 21. polliceretur, ut Idomeneum ab oblivione vindicassent Epicuri epistolae, ita suis scriptis illius nomen duraturum esse, in eo non vanus fuit augur. Neque enim alibi usquam, ut monuit Ruhk. *praef. tom.* 3. *ed. Sen.* nisi apud nostrum philosophum Lucilii mentio reperitur, in quem adeo conveniunt haec ejusdem verba in *Praef. tom.* 4. *p.* XIV: « Plerisque autem Senecae amicis, praesertim iis, quibus libros suos inscripsit, hoc accidit « fatum triste, sed in tyrannide non mirum, ut et « ipsi quasi in illam tristissimam ruinam, qua inno« centissimus Philosophus a Nerone protrudebatur, « velut sine nomine corpora, devoluti, ideoque omnia « eorum vestigia ex historia istorum temporum peni« tus sublata sint." E Seneca tamen, qui et sapientissimas illas *Epistolas* et *Naturales Quaestiones* ad Lucilium scripsit, haec discimus, eum procuratoris nomine, quae erat equestris nobilitas (13), provinciae Siciliae praefuisse (14). Pauperem natum « in medium protulerat ingenii vigor, scriptorum ele« gantia, nobiles et clarae amicitiae (15)." Et scriptorum quidem elegantiae monumentum aliquod majus

(13) Tac. *Agric.* c. 4. Et Lucilium ad equestrem ordinem industria perduxerat. *Epist.* 44.

(14) *Nat. Quaest. L.* 4. *praef.* §. 1, 20. *Epist.* 31. §. 8.

(15) *Nat. Quaest. l. c.* §. 12, 13. *Epist.* 19.

jus (16) exstare credidit Wernsdorfius; carmen enim illud, *Aetna* inscriptum, quod vulgo Cornelio Severo tribuitur, a Lucilio esse conditum, quem ejusmodi opus vel parasse, vel etiam perfecisse loca quaedam Senecae indicant (17): neque tamen sententiam hanc Ruhkopfio probavit, qui *Praef. Vol.* 2. *p.* XIV. Cornelio quidem abjudicandum, non item Lucilio vindicandum censet.

Ceterum hic amicitia floruit Cn. Lentuli Gaetulici, poëtae et historici, occisi a Caligula, postquam decem annos Germaniae praefuerat (18); tum Aebutium Liberalem, ad quem libri *de Beneficiis* scripti sunt, communem et Senecae et Lucilii amicum fuisse significat *Epist.* 91. *init.* « Liberalis noster nunc « tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis « colonia exusta est." Inprimis autem eum Seneca familiaritate coluit, maximique fecit; quod indicant epistolae, in quibus non modo frequenter eum ita compellat: « Lucili, virorum optime, Lucili carissi- « me," sed saluberrimis praeceptis instruit, atque de variis rebus consulenti sic rescribit, ut non rescribere, sed tamquam praesenti respondere sibi videretur (19). Lucilius autem, qui « calcatis popula-

(16) Nam versiculi quidam afferuntur, ut *Epist.* 8. §. 8.

» Non est tuum, fortuna quod fecit tuum;

et

» Dari bonum quod potuit, auferri potest."

in quibus animum Senecae convenientem agnoscas.

(17) *Epist.* 79. *init. Nat. Quaest. L.* 3. *c.* 1. *c.* 26. §. 5. ubi vid. Ruhk.

(18) *Nat. Quaest. l.* 4. *praef.* §. 13. ibique Ruhk.

(19) *Epist.* 67. §. 2. Cf. *Epist.* 71. §. 1: » Subinde me de rebus » sin-

« laribus bonis," (*Epist.* 31.) ope philosophiae ad rectam placidamque mentem contendebat (20), maxime de quaestionibus cum eo studio conjunctis amici sententiam exquirere solebat. Exemplo sint epistorum nonnullarum exordia, veluti *Ep.* 72. « Quod « quaeris a me, liquebat mihi, si remeditarer, per « se: sed diu non retentavi memoriam meam, itaque « non facile me sequitur. Quod evenit libris situ « cohaerentibus, hoc evenisse mihi sentio: explicandus est animus, et quaecunque apud illum deposita « sunt, subinde excuti debent, ut parata sint, quoties usus exegerit. Ergo hoc in praesentia differamus: multum enim operae, multum diligentiae poscit." *Ep.* 88: « De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras." *Ep.* 89: « Rem utilem « desideras, et ad sapientiam properanti utique necessariam, dividi philosophiam, et ingens corpus « ejus per membra disponi (§. 2.) Faciam ergo quod « exigis, et philosophiam in partes, non in frusta « dividam." *Ep.* 108. « Id, de quo quaeris, ex his « est, quae scire tantum eo, ut scias, pertinet. Sed « nihilominus quia pertinet et properas, nec vis ex-« spectare libros, quos cum maxime ordino conti-« nentes totam moralem philosophiae partem, statim « ex-

» singulis consulis, oblitus vasto nos mari dividi, quum magna pars » consilii sit in tempore, necesse est evenire, ut de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, quum jam contraria potior est."

(20) In quo Seneca magno cum studio adjuvit, ut scribit *Ep.* 34: » Ego quum vidissem indolem tuam, injeci manum, exhortatus » sum, addidi stimulos, nec lente ire passus sum, sed subinde ex- » citavi: et nunc idem facio."

« expediam." Quae si comparamus cum principio libri *de Providentia:* « Quaesisti a me, Lucili, quid « ita, si Providentia mundus ageretur, multa bonis « viris acciderent mala? Hoc commodius cet." magnam convenientiam cernimus, quae probabile reddat, hunc librum eodem consilio, quo scripsit illas, ut amici desiderio satisfaceret, eodem quoque circiter tempore scriptum esse.

De *temporis* enim accurata definitione ut in plerisque Senecae, sic in hoc libro Viri Docti non satis inter se consentiunt. Schottus (21) quidem in librorum ordine digerendo postquam nono anno Claudii, Senecam ab exsilio revocatum esse dixit, primumque librum, quem redux scripserit, *ludum* fuisse *de morte Claudii*, quippe initio statim imperii Neronis vulgatum, haec addit; « nisi fortasse aliquis « libros *de Ira*, *in sapientem non cadere injuriam*, « et *cum mundus regatur providentia*, *quare multa* « *mala bonis viris accidant*, et *de Tranquill. animi* « velit huic interstitio temporis, quod ab ejus reditu « ad mortem usque Claudii fluxit, tribuere, de qui- « bus tamen, nisi quod post Caji caedem editi sunt, « nihil liquido affirmare ausim." Qua cum suspicione, quantum ad librum *de Providentia*, Lipsius ita consentit, ut et aliam proferat; in *Argumento* scribens: « Aureus hic libellus est, et scriptum post « Caligulam video ex Cap. IV. *Ego mirmillonem*, « inquit, *sub C. Caesare audivi de raritate mune-* « *rum querentem.* In praeterito loquitur, et de ho- « mine ac tempore, quod fuit. Puto igitur sub Clau- « dio;

(21) *Tom. 2. ed. Sen.* Praefatione vitam Senecae complexa.

« dio, statim a reditu; imo quid si haec philosophica
« quaedam in exsilio? nam diu ibi haesit, annos cir-
« citer octo, et juste hoc elegerit, sibi solando."
Et huic quidem Viri Magni conjecturae quod objici possit, unum aliquid, leviusculum fortasse, liber ipse suggerere mihi visus est. Cum enim c. 4. §. 12. quantum consuetudo possit in malis leniendis efficere, barbararum nationum exemplo firmat, quae in summa soli coelique et victus asperitate non tamen infelices sint, Germanos affert, « et quidquid circa « Istrum vagarum gentium occursat." Quidni si scripserit haec in Corsica, Corsicae potius memoraverit incolas? cujus insulae tristitiam ea quidem parte, qua ipse degebat (22) in *Consol.* ad matrem Helviam inde missa *c.* 6. §. 4. ita refert: « Quid tam nudum in-
« veniri potest, quid tam abruptum undique, quam
« hoc saxum? quid ad copias respicienti jejunius?
« quid ad homines immansuetius? quid ad ipsum loci
« situm horribilius? quid ad coeli naturam intempe-
« ratius?"

In altera Lipsii sententia possemus acquiescere, sub Claudio statim a reditu scriptum esse, nisi multo tamen probabilius videretur, ultimis ejus vitae annis hunc librum assignare. Suadet hoc et convenientia (23) pau-

(22) Nam cetera Corsica secundum Diodorum Siculum et Plinium fecundior erat. Vid. Ruhk. *ad Sen. l. l.*

(23) Neque tantum exordia conveniunt; sed Epistolas imprimis quinquagesimam nonam et nonnullas insequentes quo magis legebam, eo magis arridebat opinio, scripsisse Senecam eas aut a libro *de Providentia* recentem, aut cum ipsi in manibus esset. Insunt enim iis complura similia, res, imagines, dictiones, quae suis locis indicari poterunt in *Annot.*

paulo ante memorata cum Epistolis scriptis sex aut septem annis ante mortem (24) quam A. post Chr. 65 eodemque aetatis suae obiit (25); et mentio majoris illius operis sive *de Providentia* sive *Moralium*, quae in libelli principio reperitur. Ita enim *c.* 1. §. 1: « Hoc commodius in contextu operis redderetur, cum praeesse universis Providentiam probaremus, et interesse nobis Deum; sed quoniam a toto « particulam revelli placet, et unam contradictionem, « manente lite integra, solvere; faciam rem non dif« ficilem, causam deorum agam. Supervacuum est « in praesentia ostendere, non sine aliquo custode « tantum opus stare, nec etc. — (§. 4.) Suo ista « tempori reserventur." Dubitant, quonam haec referenda sint. Cum enim *Ep.* 106, 108, 109. plane simili ratione Lucilio scribat ea, quae ille quaesivisset, commodius explicari posse libris, quos cum maxime ordinaret, totam moralem philosophiae partem continentes (26), eosdem hic intelligi putat Ruhkopfius. Verum quaestio de Providentia nonne potius ad eam philosophiae partem pertinere censenda

(24) Confecit hoc Ruhk. ex *Ep.* 91, ubi Lugduni narrans incendium, centesimum ejus coloniae tunc annum fuisse scribit.

(25) Ita Reinhardtus: alii paululum variant, ut Joecherus *Lexico Erud.* qui A. Chr. 65, sed ipsius 62 decessisse tradit, Lipsius qui putat eum, cum moreretur, 63 aut 64 annorum fuisse. Quidquid ejus rei sit, senem quidem se fuisse, cum scriberet *Epistolas*, multis locis eleganter ipse significat, ut *Ep.* 61: » Ante senectutem curavi, ut bene viverem; in senectute, ut bene moriar."

(26) *Ep.* 106. § 2 ait: » scis enim me moralem philosophiam » velle complecti, et omnes ad eam pertinentes quaestiones explicare:" et *Ep. seq.* §. 15. appellat moralis philosophiae volumina. Lactantius ex iis fragmenta quaedam servavit.

da est, quae de rebus Divinis (27) quam ad moralem, quae de humanis agit? quas duas pulcherrime inter se comparat Seneca, *Quaest. Nat. l.* 1. *praef.* (28). « Tantum," inquit, « inter duas interest, quantum inter Deum et hominem. Alter « docet, quid in terris agendum sit: altera, quid « agatur in coelo. Altera errores nostros discutit, « et lumen admovet, quo discernantur ambigua vi- « tae: altera multo supra hanc caliginem, in qua « volutamur, excedit, et e tenebris ereptos illo per- « ducit, unde lucet. Equidem tunc naturae rerum « gratias ago, cum illam non ab hac parte video, « quae publica est, sed cum secretiora ejus intravi: « cum disco, quae universi materia sit, *quis auctor « sit aut custos:* quid sit Deus: totus in se inten- « dat, an ad nos aliquando respiciat," cet. Videmus hic eadem fere memorari, quae in libelli nostri loco modo allato dixerat suo tempori reservanda: videmus simul ea morali philosophiae parti opponi. Unde verosimile fit, Senecam illo loco non de *Moralium* libris cogitasse, sed de alio quodam opere, quo quac-

(27) Stoicos quidem locum de Deo ad physica retulisse docet Lips. *Physiol. Stoic. l.* 2. *diss.* 3. Locus autem ille quaestionem de Provid. continebat, ut apparet e disputatione Balbi Stoici ap. *Cic. de Nat. D. l.* 2. *c.* 29 *sqq.*

(28) Ruhk. conferre jubet *Ep.* 89. ubi varias recensens philosophiae definitiones, tripartitam illam sibi maxime placere significat (§ 8) in moralem, naturalem et rationalem. Quem locum ita cum nostro concilies, ut vel moralem et rationalem ea parte, quae ad homines spectat, complexus sit (ita Ruhk.) vel rationali parte, quippe minori, quaeque instrumenti tantum loco sit, nunc neglecta, de ipsa materia philosophiae graviter eleganterque disseruit.

quaestio de Deo deque mundi per Deum formatione et gubernatione tractaretur. Quale opus eum in animo habuisse, vestigia quaedam indicant, quae, age, colligamus. In eadem illa *primi libri Nat. Quaest. praef.* §. 14, 15. postquam utile dixit esse cognoscere, « quantum Deus possit; materiam ipse sibi for-« met, an data utatur," similiaque, sic finem facit: « Sed haec deinde." Tum *ib. c.* 1. §. 3. commemoratis prodigiis quibusdam, « Dices" inquit, « mihi: « Ergo tu in tantis erroribus es, ut existimes Deos « mortium signa praemittere, et quidquam esse in « terris tam magnum, quod perire mundus sciat? « Erit aliud isti rei tempus. Videbimus, an certus « omnium rerum ordo ducatur, et alia aliis ita com-« plexa sint, ut quod antecedit, aut causa sit se-« quentium, aut signum. Videbimus, *an Diis hu-« mana sint curae;* an series ipsa, quid factura sit, « certis rerum notis nuntiet." Denique huc referam, quae de fulminibus ait *l.* 2. *c.* 46: « At quare Jupi-« ter aut ferienda transit, aut innoxia ferit? In ma-« jorem me quaestionem vocas, cui suus locus, suus « dies dandus est." Videtur igitur tum, cum Nat. Quaest. scriberet (scripsit autem A. Chr. 64.) (29) ejusmodi opus sibi proposuisse, post illas absolutas elaborandum; quod tamen ne perficeret, morte prohibitus esse, siquidem in fragmentis, quae multa servarunt e deperditis Senecae scriptis Lactantius, Tertullianus, alii, nullam ejus mentionem fieri videmus.

Quod

(29) Collegit hoc Ruhk. e Pompejorum calamitate narrata *L.* VI. *c.* 1.

Quod si haec indicia conjungimus, non modo confirmari videtur sententia Ruhkopfii minime dubitantis, quin saltem sub Nerone (30) libellus noster exaratus sit, verum etiam tempus paulo arctius circumscribendo suspicari liceat, confectionem ejus in sex septemve postremos vitae Senecae annos incidisse. Videtur eos in otio degisse Philosophiae studiis utilibusque libris componendis intentus (31), ab aula, frigescente jam aliquantum Neronis gratia (32) ita remotus, ut tamen in gravioribus rebus arcesseretur (33). Posteaquam autem Burrus, quem in regendo consiliis honestis Imperatoris animo socium et adjutorem habuerat, veneno periit, Senecae quoque potentia infracta est. Mox variis criminationibus in invidiam Principi adductus, ex illo praecepto, quod olim Lucilio dederat *Ep.* 14, sapientem nunquam potentium iras provocaturum, immo declinaturum, non aliter quam in navigando procellam, vela contraxit. Itaque « instituta prioris potentiae commutat: « prohibet coetus salutantium: vitat comitantes; ra- « rus per urbem; quasi valetudine infensa, aut sapien-

(30) Fabric. quoque *Bibl. Lat. p.* 105 scriptum esse statuit Imp. Claudio jam defuncto.

(31) Libri quoque *de Otio sapientis*, *de Brevitate vitae*, *de vita beata* commode ad hoc tempus referri posse mihi videntur.

(32) Conjecit hoc Ruhkopf. (*Praef. Tom.* 4. *p.* xi.) e libris *de Benef.* ubi nusquam Neronis mentionem fecerit, eumque tamquam ingratum erga praeceptorem tetigerit *L.* III. *o.* 3. *c.* 17, *L.* VI. *c.* 15. quae conjectura si vera sit, jam paulo prius imminui coepit ille favor; siquidem libri *de Benef.* ante Epistolas scripti sunt, in quarum octogesima prima memorantur.

(33) Tac. *Ann. L.* XIV. *c.* 7.

« pientiae studiis domi attineretur" (34). Neque tamen hic secessus optimo viro valde gravis accidere potuit, qui jamdudum a Philosophia didicerat, et Lucilio suo praeceperat (35), vitandam esse turbam, « vitanda, quaecunque vulgo placent, quae casus « attribuit." Omnino senectutem Senecae non immerito dixeris optimam ejus vitae partem (36): tunc sapientiam, etsi nullo tempore parvi habitam, praecipuo tamen studio coluit, ut et animum curis ac vitiis liberaret, et naturae contemplatione rerumque Divinarum pasceret (37), et amicis, posteris denique prodesset.

Quibus autem rationibus in hoc libello Providentiae causam egerit, aptissime videtur in brevi conspectu Lipsius indicasse. Cujus labore (difficilem enim supra quam aliquis credat, hanc argumentorum descriptionem sibi fuisse Vir Magnus in Introductione testatur) ejus igitur labore grati fruamur. « Argu« mentum" inquit « est, Providentiam esse: nec « obstare, quod bonis mala quaedam, sed externa, « obveniant. Primo igitur universe illam asserit, a « mundi motu, ordine, constantia: quae omnia rec« torem clamant. Deinde ad quaesitum proprie, quare « ergo mala bonis? Ait primo (38) Deum amare bo« nos;

(34) Tac. *ib.* c. 52—56. Verba c. 53: „familiaritatem ejus „*magis* aspernante Caesare" jam ante criminationes illas animum Neronis alieniorem a Seneca fuisse indicant.

(35) *Epist.* 7, 8, 10.

(36) Ita quoque Reinh. *l. l. p.* 40.

(37) Pulcherrimus hac de re locus est *Ep.* 65. §. 15 *sqq.*

(38) Ab his verbis c. 1. §. 5. „In gratiam te reducam" usque ad finem capitis.

« nos; nec immittere igitur iis mala. Instar parentis « dumtaxat castigare, et cöercere. Deinde (39) non « videri ea mala bonis, nec vinci iis, sed exerceri, « et per aspera indurari. Deum velut agonothetam « esse, et robustis his athletis suis delectari. Haec « ita communiter, et velut praeparans, ad Cap. III. « Ab eo magis distincte quinque rationes, cur eve- « niant, exsequi pergit. Primo pro ipsis esse, qui- « bus accidunt: secundo, pro universis: tertio, vo- « lentibus evenire: quarto fato et aeterna lege (40). « Primam rationem tractat Cap. III, IV. docetque « pro ipsis esse, sicut medicina pro aegris. Indu- « rantur etiam sic a Deo, qui se dignos producit in « pugnam; alios viliores, in otio et umbra habet. « Secundam tractat Cap. V. pro omnibus esse, ut « viri boni, sic habiti, clament aliis et ostendant « non esse Bona aut Mala, quae vulgus putet. Ad « vera igitur illa spectent, et illa petant, haec fu- « giant. Ibidem tertiam (41) nectit, Volentes ex- « cipere: nam praebent se Deo et Fato. Quarta (42) « excipit, Fatum esse, et ab aeterno constitutum, « quid gaudeas doleasque. Denique repetit (43), « mala haec non esse: et Deum inducit pulcherrime « adhortantem, et ad robur excitantem. Stoice in « fine, si piget et ferre taedet, quis tenet? patet « janua, exi."

An

(39) *Cap.* 2.
(40) Inseri possit » quinto nulla vere mala bonis viris accidere."
(41) *Cap.* 5. §. 3. a verbis: »et volentes quidem."
(42) *Ib.* §. 5 *ad fin. Cap.*
(43) Haec ultimo *Cap.* continentur. Pro *repetit* autem equidem malim *ostendit;* eam enim rationem nondum, ut videtur, exposuerat.

An liber hic egregius integer ad nos pervenerit, jam videndum. Sunt enim, qui negent, magnae auctoritatis Viri. Siquidem ad *c.* 3. §. 1. ubi scriptor disserendi ordinem proponens enumeratis quatuor partibus ita pergit « persuadebo inde tibi, ne un- « quam boni viri miserearis; potest enim miser di- « ci, non potest esse" ad eum igitur locum Lipsius παρονομαστικῶς, ut solebat: « Haec pars in fi- « ne deest, temporum injuria, non scriptoris incu- « ria." In eandem fere sententiam Ruhkopfius ad eum locum annotavit. Fabricius quoque, sed dubitantius, *Bibl Lat. p.* 105: « De Providentia « liber, extrema, ut videtur, parte mutilus." Rationes, quibus hic in eam sententiam adductus sit, cum ipse non significaverit, ignoramus; quamquam suspicari licet, eandem ei, quam illis, causam fuisse, quod e quinque partibus propositis una praetermissa videretur. Et difficile quidem est a Virorum Doctissimorum sententia discedere; sed tamen haud sciam, an afferri quaedam possint, quibus integrum esse librum ostendatur. Divisionem illam paulo diligentius consideremus. Capitis initio dixerat: « Sed jam procedente oratione ostendam, quam « non sint, quae videntur, mala." Jam quatuor interjectis, quae prius tractanda forent, idem illud mutatis verbis repetit: « persuadebo inde tibi, ne « unquam boni" cet. Hoc ipsum autem, ea, quae mala bonis viris accidere dicerentur, non esse vere mala, c. 6. sic ostendit: mala esse « scelera et flagitia « et cogitationes improbas, et avida consilia, et li- « bidinem caecam, et alieno imminentem avaritiam;" haec autem omnia Deum a viris bonis removisse;

ce-

ceterum divitiarum et filiorum amissionem, exsilium, necem non esse mala, quippe quae viri boni aliquando sibi ipsi consciscant. Reliqua de hoc argumento Deum pulchre persequentem inducit. Quae ipsa prosopopoeiae gravitas et insurgens orationis spiritus libro ad exitum vergenti optime congruere videtur. Neque obstat brevior et quasi abrupta, qua finem facit, sententia: « quod tam cito fit, timetis diu?" Ejusmodi enim breviter dictis libros claudere nonnunquam Senecae placuit. Exempla petamus e *Nat. Quaestionum* opere paulo post exarato, cujus liber secundus ita finitur: « Nemo unquam « fulmen timuit, nisi qui effugit:" tertius in haec verba desinit: « etiam sine magistro vitia discun« tur."

Superest, ut quaenam ad Senecae textum recognoscendum subsidia mihi fuerint, paucis exponam. Praeter editiones Andr. Schotti, A. 1604, Lipsii, A. 1652 (44), J. F. Gronovii, A. 1658 et novissimam Ruhkopfii, A. 1797, duobus uti contigit Codicibus MStis, humanitate Viri Doctissimi Geel Bibliothecae Praefecti concessis. Horum alter est membranaceus, nitidissime scriptus, haec in fronte gerens: « Ex Bibliotheca unigeniti filii Jo« hannis, J. Ut. D. Bibliothecae Lugduno Batavae « donavit, Vir Clar. Franciscus Fabritius « Theologiae Prof. pater moerens." Continentur eo: 1. *Epistolae.* Ordo aliquantum immutatus est, v.

(44) Hanc ceteris editionibus quatuor a Lipsio curatis (1605, 1614, 1632, 1637) esse meliorem et raram scribit Harles *Brev. Not. Literat. Rom.* p. 327.

v. c. quae solet in editionibus esse 87, postremum in Cod. locum tenet.

2. *De remediis fortuitorum.* Liber spurius esse creditur. Idem est, qui editioni Lipsianae subjunctus invenitur hoc titulo: *Excerpta alia*, nisi quod in fine post verba: « Felix est, non qui aliis vi« detur, sed qui sibi," Codex haec insuper habet: « Vides autem, quam domi sit ista felicitas."

3. *Liber primus Senece de providencia. Cum mundus providencia regatur. Queritur quare multa mala bonis viris accidunt in hoc mundo** (45).

4. *Liber secundus ejusdem de providencia ad Serenum. Quod in sapientem nec injuria nec contumelia cadit**. Alias dici solet *de Constantia sapientis.*

5. *De Ira.*

6. *De Tranquillitate animi.*

7. *De Beneficiis.*

8. *Sentencie seu Proverbia Senece**. Alphabetico digestae sunt ordine. Videntur eaedem, quas Fabric. *B. L. Tom.* II. *p.* 118. parum differre dicit a P. Syri mimis sive sententiis.

9. *Addiciones ad sentencias seu ad proverbia Senece**. Ductae ex ipsius operibus literarum item ordinem sequuntur.

10. *Versus divi pauli apostoli**. Hexametri sunt, potius dicendi versus *de Paulo apostolo*; nam ad ejus laudem pertinent.

11. *Prologus epistolarum Senece ad paulum et pau-*

(45) Noster libellus est. Iis autem, in quibus ipsa Codicis inscriptio servanda videbatur, asteriscum apposui.

*pauli ad Senecam**. Hieronymi locus est, quem Lipsius attulit *Edit. p.* XXVI.

12. Ipsae, quae feruntur, Pauli et Senecae epistolae.

13. Librorum *de Clementia* quantum superest.

14. *De quatuor virtutibus cardinalibus.* Titulus deest: notum est hunc librum suppositicium haberi.

15. Pars *epistolae secundae* a verbis « primum « argumentum " ad « aliquid apprehendo, " sed admodum turbata.

16. Liber *de paupertate*, quem Lipsius *Excerptorum* nomine subjecit editioni, Senecae non esse judicans.

17. Iterum *epistola secunda*, sed ultima parte carens a verbis: « paupertate bene convenit."

De Codice, quam antiquus sit, nil certi quod dicam habeo. De orthographia, siquis inde conjecturam temporis ducere velit, haec pauca memorasse sufficiat: solennem in utroque cod. scripturam esse *e* pro *ae*, ut *sepe*, *preesse*, tum *ci* pro *ti*, ut *senciant*, *ingencia*, *moncium*; *michi* et *nichil* pro *mihi* et *nihil*; *y* pro *i* in his *yemps*, *ymbrem*, *ymagines*, et contra scribi *Olimpia*, *Silla* pro *Sylla*; denique *hii* et *hiis* pro *hi* et *his*; *Occeanus* pro *Oceanus*.

Alter Cod. chartaceus olim in Biblioth. *Varmiensi* fuit, ut prima pag. legitur; post ad virum Ill. Isaacum Vossium pervenit. Temporis est aeque incerti, minoribus, quam alter, literis scriptus, non sine librarii diligentia, ut apparet e variis lectionibus aliisque notulis hic illic ab eadem, ut videtur, manu adjectis. Elegantiorem usum particulae *ut* pro

li-

licet ignorasse tamen videtur, cum *utrum* ei substituerit *de Provid. c.* 3. §. 3. Quod ad orthographiam, quaedam habet sui propria, v. c. *sinfoniarum*, *triunfalis*, *Cathonem*, quamquam hoc non constanter. Paginae duae priores longe deteriori manu scriptae continent libri *de Paupertate* particulam, et nonnulla de uxore non ducenda sapienti, quae apte referre possis ad librum deperditum *de Matrimonio*, quem Hieronymi auctoritate memorat Fabric. *l. l. p.* 123. Deinde sequuntur:

1. *Senece de presencia divina**. Libelli nostri pars est, desinens in verbis (c. 4. §. 4.) « fortes milites belli triumpho" quemadmodum in hoc MSto legitur. Titulus inde fortasse oriri potuit, quod librarius cum prope ab initio videret: « *interesse nobis Deum*," hoc opusculi argumentum esse crediderit.

2. *Epistolae*, in XXII libros divisae. Subinde nonnulla desiderantur. Quae vulgo fertur 48a, hic in duas distribuitur.

3. *De Clementia* quantum superest.

4. *De casibus fortuitis**. Idem, qui de *Remed. fortuit.* Dialogi forma ita servata est, ut singulis, « morieris, aegrotabis" similibusque Gallionis, responsionibus autem Senecae nomen praefixum sit.

5. *De quatuor virtutibus cardinalibus.*

6. *Excerpta ex libris Senece de Beneficiis**.

7. *Collectio similitudinum, comparationum et aliquorum exemplorum, que habentur in epistolis Senece**. Sic in fine dicitur. Habet ea collectio fortasse nonnullam rei criticae utilitatem, quippe longiores saepe Senecae sententias afferens.

8.

8. *Flores** e libro *de Moribus* et de quatuor *Virtutibus cardinalibus.*

His Codicibus an aliquando Viri Docti usi sint, certis vestigiis deprehendere non potui. Gronov. quidem ad *l. de Provid. c.* 5. § 8. « Viderint, inquit, hoc isti " monuit Pinciani Codices et quatuor Gruteri et Bruxellensem ignorare pron. *hoc*, quod ipsum et a duobus his codd. abest; unde conjicere possis Fabricianum illum a Pinciano collatum esse, cui suspicioni favet, quod initio libri *de Rem. fort.* appictum legitur nomen *Perez de Maluenda;* fuit autem ex Hispania Pincianus: Bruxellis olim alterum fuisse. Sed haec valde dubia sunt; illud certius, in utroque MSto nonnullas inveniri lectiones, neque spernendas, ut videtur, neque in ulla earum quidem, quas adhibui, editionum memoratas. Editionibus his annumerari quoque potest antiqua quaedam et rarior impressa Lipsiae per Arnoldum de Colonia A°. 1495, e qua potissimam lectionis varietatem nactus sum excerptam in Mulleriani *de Sallustio* (46) libelli appendice. Denique Pinciani notas excerpsi ex editione Parisina (47) quae cum

(46) Libelli titulus integer hic est: C. Sallustius Crispus, *oder historisch critische Untersuchung der Nachrichten von seinem Leben, Urtheile über seine Schriften, und der Erklärung derselben. Nebst einem Beitrag zur Kritik des Cicero und Seneca. Herausgegeben von* M. Otto Moriz Müller, *Züllichau und Leipzig* 1817. Appendices Latine scripti sunt, quorum alter ad Senecae *de Provid.* librum spectat. Ceterum hujus separatam editionem, quae Ackero curante Rudolstadii prodiit A°. 1711, Fabricio memoratam *l. l. p.* 105. frustra mihi comparare conatus sum.

(47) Memorat eam in praestantissimis Fabric. *p.* 113. Exstat in Harlemensi Bibliotheca.

cum notis Mureti, Fabri aliorumque multorum exiit ap. Perier A°. 1607.

His subsidiis instructus cum ad Annaeum nostrum accederem, id mihi proposui, ut in plerisque Ruhkopfii lectione servata, sicubi discedendum ab ea videretur, ejus rei rationem in notulis subjectis redderem (48), tum ceteram varietatem, quae licet in textum non recipienda, notatu tamen digna videretur, paucis commemorarem.

Sequitur *Annotatio*, in qua quid non assecutus, sed secutus sim, paucis velim edoceantur lectores. Cum enim, ut praeclare Wyttenbachius explicuit, omnis antiqui scriptoris interpretatio duplex sibi munus subjectum habeat, quorum alterum in verbis, alterum in rebus illustrandis positum sit, verborum difficultas in hoc scriptore maxime nascitur ex impedita nonnunquam structura, particularum omissione, subito ab alia ad aliam disputandi rationem transitu, quaeque sunt his similia; quod genus diligenter, quamquam, ut mihi videtur, aliquando paulo minutius notavit Henr. Stephanus in *Proodopoeia*. Eas igitur difficultates ut expedirem, lègendo, meditando, comparando Senecae cogitationis veluti cursum investigare conatus sum eoque tanquam Ariadneo filo gressum regere. Verbis singulis explanandis in hac literarum luce et Lexici Schelleriani usu vulgatissimo minus operae navandum censui, nisi ubi vel interior cum scriptore contracta familiaritas, aut subsidia quaedam feli-

(48) Eam tamen religionem in rebus minutioribus, v. c. *cum* an *quum* scribendum, et quae voces literis majusculis ordiendae essent, necessariam non judicavi.

liciter inventa novae aliquid lucis affundere posse viderentur.

Res et sententiae ex ceterorum Stoicorum scriptis, Epicteti maxime et Antonini, adhibitis Gatakeri commentariis, fuerunt illustrandae. In quo saepe fiebat, ut easdem sententias et comparationes a pluribus usurpatas offenderem. Neque tamen ideo existimandum videtur, haec alios ab aliis esse mutuatos. Imo necessario sic fieri debuit, ut homines ingeniorum similitudine ad ejusdem philosophiae studium adducti, ab iisdem disputandi cogitandique principiis profecti, in multa similia inciderent.

In Mureti, Lipsii, Ruhkopfii notis excerpendis delectum adhibere studui; saepe verba ipsorum integra dedi, quia pusilli animi ducebam, iis, quae illi bene docteque explicuissent, leviter immutandis novitatis colorem affectare. Quotiescunque autem aliquid ex eorum penu depromsi, nomina commemoravi, magnorum Virorum famae improbo labore partae id me debere ratus, quod Ruhkopfius saepius omisit ob concinniorem, suspicor, quam inierat, annotandi rationem. Neque enim nunc illum vituperabo; de me potius illud in mentem revocabo lectoribus, quod scripsit Wyttenbachius: « in parvi libelli quamvis copioso commentario conficiendo non omnia a nobis exhauriri posse, multaque nostram diligentiam effugere, quae ad rem pertineant. »

Scripsi Leidae, die 25 Januarii
anni MDCCCXXVIII.



L. ANNAEI SENECAE

LIBER

DE PROVIDENTIA,

SIVE

QUARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT. CUM SIT PROVIDENTIA.

CAPUT I.

Quaesisti a me, Lucili, quid ita, si Providentiâ mundus ageretur, multa bonis viris acciderent mala? Hoc commodius in contextu operis redderetur, cum praeesse universis Providentiam probaremus, et interesse nobis Deum: sed quoniam a toto particulam revelli placet, et unam contradictionem, manente lite integra, solvere; faciam rem non

CAPUT I.

1. *Lucili* Cod. Fabric. *Lucilli.*

Providentia divina vetus habet editio Arnoldi de Colonia. Quod firmari forte possit imitatione Minucii Felicis *Octav. p.* 40: „quod si mundus divina providentia, et alicujus numinis auctoritate regeretur." Pinc. ad h. l. Senecae: verbum *divina* vetus lectio non agnoscit.

Mundus ageretur. Arn. de Col. *mundum ageret.* In Erasmi editione, quae prodiisse videtur A. 1529, et servatur in Biblioth. Traject., lectionem hanc vidi, sed utrum in contextu, an in margine non memini: *si Providentia mundum regeret.*

Acciderent. Uterque Cod. Leid. *accidere.*

2 non difficilem, causam deorum agam. Supervacuum est in praesentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, et quae casus incitat, saepe turbari et cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum et ex dispositione lucentium: non esse materiae errantis hunc ordinem, neque quae temere coierunt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus sedeat immotum, et circa se properantis coeli fugam spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum fluminum sentiant; ut ex minimis semi-

Agam. Arn. de Col. *Agenti.*

2. *Certum discursum.* Cod. Fabric. *cursum discursumque.* Sic etiam Lipsius hunc locum affert *Physiol. Stoic.* p. 25: postea tamen in editione vulgatam dedit. Arn. de Col. lectionem utramque conjungit: *sidereum certum cursum et discursum.* Suspicor aliquem librarium non intellexisse, quid esset h. l. *certum*, idque propterea mutasse.

Et cito. Pincianus haec verba dicit in exemplari suo desiderari.

Arietare. Cod. Voss. *variari.* Est tamen illud Senecae frequens hoc sensu offendendi, impingendi, ut *Cons. ad Marc.* XI. 2. *de Tranq. an.* I. 7. *de Vita beata* VIII. 5. Significatio vel ab arietibus ducta videtur, qui cornibus obversis se invicem petunt, vel ab ariete bellico in muros impingente.

Coierunt. Arn. *exierunt*, quod in eandem sententiam foret intelligendum, qua *de Benef.* VI. 23. dixit *excidere.* Melius tamen videtur *coierunt*, quoniam eorum sententia tangitur, qui omnino Deum negant, universumque, ut ait *Nat. Quaest. L.* VI. *praef.* §. 14. ferri temeritate quadam arbitrantur, ex atomorum concursu omnia explicantes.

Vallibus. Ita maris sedes appellat etiam *Nat. Quaest.* III. 8.

Molliant. Codices quosdam habere *commoliant*, ait Pinc. unde conjicit *moveant* s. *commoveant*, quo modo Neptunus a poetis *ἐνοσίγαιος* dicatur. Malim equidem vulgatam retinere.

3 minibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quae videntur confusa et incerta, pluvias dico nubesque, et elisorum fulminum iactus, et incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, et alia quae tumultuosa pars rerum circa terras movet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt: sed suas et illa causas habent non minus, quam quae alienis locis conspecta miraculo sunt, ut in mediis fluctibus calentes aquae, et nova insularum in vasto exsilientium mari spatia.
4 Jam vero si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet caeca quadam volutatione modo contrahi undas, et introrsum agi, modo erumpere, et magno cursu repetere sedem suam: quum illae interim portionibus crescunt, et ad horam ac diem subeunt, ampliores minoresque, prout illas lunare sidus elicuit, ad cujus arbitrium oceanus exun-

3. *Labantis.* Cod. Voss. *labentis*; hoc autem *cadere*, illud *tremere* significat. Cod. Fabric. *labantisque.*

Et alia. Cod. Voss. *aliaque*, quod oriri potuit e seq. *quae* per simplex *e* scripto.

Sed suas et illa. Pincianus editionem habuit, in qua deerat *suas.* Suspicor potius delendum esse *sed.* Amat enim ab illo pronomine periodum incipere Seneca, ut mox: » suo ista tempori reserventur."

Miraculo. Ruhk. Gronovium secutus dedit *miracula:* videtur tamen elegantior altera lectio *miraculo* i. e. admirationi; quae et amborum Codicum assensu firmatur.

4. *Jam vero — suam.* His contineri puto perversum vulgi judicium, quod in sqq. ipse redarguit: itaque pro interrogandi nota, quam post *exundat* posuit Ruhk., punctum visum est restituendum.

Illae interim. Uterque Cod. *interim illae*, quod fortasse non pejus est.

exundat. Suó ista tempori reserventur: eo quidem magis, quod tu non dubitas de Providentia,
5 sed quereris. In gratiam te reducam cum Diis, adversus optimos optimis. Neque enim rerum natura patitur, ut unquam bona bonis noceant. Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. amicitiam dico? imo etiam necessitudo et similitudo: quoniam quidem bonus ipse tempore tantum a Deo differt, discipulus ejus, aemulatorque, et vera progenies: quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi pa-
6 tres, durius educat. Itaque quum videris bonos viros acceptosque diis, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, et voluptata-

5. *Optimis.* Fabric. *optimus:* hinc orta videtur Arn. lectio *optimus sis.*

Neque enim rerum natura. Enim in Voss. deest: *rerum* et mox *unquam* Lipsius et Schottus omittunt: adduntur tamen in utroque MSto Leidensi, et a Gronovio. Pincianus ex antiqua lectione locum ita constitui volebat: *Neque enim rerum natura patitur, ut bona.*

Deum. Deos Voss.

Amicitiam. Idem *amicitia.* Videtur utroque praestare Ruhkopfii lectio, quam exhibuimus.

Quoniam quidem. Haec, quae Leidens. quoque Codicum auctoritate firmantur, Pinc. e veteri lectione mutari volebat in *quandoquidem.* Senecae illa vindicat Steph. *Prood. p.* 262.

Ipso. Codices Leid. ignorant. Videtur tamen e scriptoris consuetudine: Cf. *Consol. ad Marc.* XXIV. 3. *ad Helv.* XI.

Quem. Codd. iidem *quam*, ad genus nominis *progenies*, non ad *virum bonum* pronomen accommodantes.

6. *Escendere.* Ruhk. *ascendere*, sed Gronovium secutus sum: et in veteribus libris ita lectum fuisse docet aberratio *extendere*, quam habet Arn., Fabric. et Voss. hic autem cum nota margin. » alii *tendere*, *ascendere.*" De horum verborum confusione vid. Lips. et Ern. *ad Tac. Ann.* XIII. 6.

tatibus fluere; cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat! bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum praeparat.

II. « Quare multa bonis viris adversa eveniunt? " At nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: in adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim

Modestia. Arn. *molestia.*

Vernularum. Voss. *vernularumque*, quod oppositioni filiorum h. l. minus idoneum videtur.

Audaciam. Idem *audacia.*

CAPUT II.

At nihil. At non habent editiones: cum autem in Voss. legatur *et nihil*, eaeque particulae confundi soleant, *et* in *at* mutavi, quod hujus responsionis initio bene convenire videtur, in hunc sensum: licet adversa multa bonis viris eveniant, *attamen*, *at certe* mali nihil iis potest accidere.

Tantum sup. dej. imbrium. Esse codd. in quibus legatur *tot supernae dejectiones imbrium* Pinc. ait. Pro *tantum* Fabr. habet *tantorum.*

Medicatorum. Hoc Gruterus, cum antea legeretur *Mediterraneorum*, e libris asseruit, ut monet Lipsius. *Meditatorum* aut *medicatorum* habet etiam Voss., altera lectione *mediterran.* in margine adscripta.

Nec rem. quidem. Pro *nec* Fabr. habet *ne.* Voss. autem et omnes editiones illud praeferunt: itaque retinendum censui ut aetate Senecae usurpatum, apud quem saepe reperitur: quamquam aureo seculo non valuerit, ideoque judice Ruhnkenio *Opusc, p.* 742. vitandum sit hodie Latine scribentibus.

enim omnibus externis potentior: nec hoc dico,
non sentit illa, sed vincit, et alioquin quietus pla-
2 cidusque contra incurrentia attollitur. Omnia ad-
versa, exercitationes putat. Quis autem, vir mo-
do, et erectus ad honesta, non est laboris appe-
tens iusti, et ad officia cum periculo promtus? cui
non industrioso otium poena est? Athletas vide-
mus, quibus virium cura est, cum fortissimis qui-
busque confligere, et exigere ab his, per quos
certamini praeparantur, ut totis contra ipsos viri-
bus utantur. Caedi se vexarique patiuntur, et si
non inveniunt singulos pares, pluribus simul obji-
3 ciuntur. Marcet sine adversario virtus. Tunc ap-
paret, quanta sit, quantum valeat, polleatque,
cum quid possit, patientia ostendit. Scias licet,
idem

Externis. Praestare videtur eo, quod in Pinc. quibusdam exemplaribus est, *casibus.*

Alioquin. Voss. *aliquando*, quod contrariam efficeret sententiam.

2. *Et erectus. Et* in Voss. deest: melius tamen adsit; *vir* enim h. l. quodammodo vim habet adjectivi, *vir fortis*, ut *de Tranq. an.* III. 15: „Imo ille vir fuerit" cet.

Industrioso. Fabr. *industri*, Voss. *industrio*, quae fortasse vera lectio. *Industriosus* enim in Lexicis nullo alio loco firmatur. Non tamen adversus omnes editiones mutare sustinui.

Certamini praeparantur. Pinc. alios codd. habere notat *certamen praeparatur*, de agonothetis intelligens, sed hoc alienum videtur a sqq. „ut totis contra ipsos viribus utantur."

3. *Quanta sit, quant. val. polleatque.* Lectionem antiquam Schotti et Lipsii restitui, nervosiorem, ut videtur, ea, quam habent Gron. et Ruhk. *quantum valeat quantumque polleat.* Nisi forte verba *quantum val.* ex interpretatione in textum irrepserint, ut cum veteri quadam lectione Pinc. et utroque Cod. Leid. legendum sit: *quanta sit quantumque polleat.*

idem viris bonis esse faciendum, ut dura ac diffi-
cilia non reformident, nec de fato querantur.
Quidquid accidit, boni consulant, in bonum ver-
tant. Non quid, sed quemadmodum feras, in-
terest. Non vides quanto aliter patres, aliter ma-
tres indulgeant? Illi excitari jubent liberos ad
studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non
patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et inter-
dum lacrymas, excutiunt: at matres fovere in sinu,
continere in umbra volunt; nunquam flere, nun-
quam tristari, nunquam laborare. Patrium habet
4 Deus adversus bonos viros animum, et illos for-
titer amat: et, « Operibus," inquit, « dolori-
« bus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant
« robur!" Languent per inertiam saginata, nec
la-

Idem vir. bon. esse fac. Voss. *fac. id bon. viris*, minus nume-rose. Idem mox *et diffic.* pro *ac diffic.*

Indulgeant. Proprium verbum in parentum erga liberos amore, qui inde dicitur *indulgentia*, veluti ap. Nostrum *Consol. ad Helv.* XIV. 3. XVI. 6. Non igitur opus est eo, quod post *matres* additur in Voss. *filiis.*

Excitari. Ambo codd. *exercitari*, minus eleganter.

Tristari. Exquisitius quam *contristari*, quod uterque cod. habet, et latet in Arn. *contrictari.* Illud raro quidem, sed tamen occurrit etiam *de Ira* II. 7.

4. *Patrium.* Fabr. *Patrum.* Voss. sequentium etiam ordine mutato *Paternum Deus habet;* melius autem videtur h. l. *patrium*, quoniam ita dicitur id, quod patribus universe convenit, ut *animus patrius*; *paternus* potius ad certi cujusdam hominis patrem spectat, ut *regnum paternum.*

Inquit. Voss. *inquam*, sublata prosopopoeia. Similiter mox Arn. habet *exagitat* pro *exagitatur.*

Ac. In Fabric. deest: Voss. *et.*

labore tantum, sed motu, et ipso sui onere defi-
ciunt. Non fert ullum ictum illaesa felicitas: at
ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum
per injurias ducit, nec ulli malo cedit: sed etiam-
5 si ceciderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus
ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos
esse atque excellentissimos vult, fortunam illis,
cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non
minor, si aliquando impetum capiunt Dii spectan-
di magnos viros, colluctantes cum aliqua calami-
tate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens
constantis animi irruentem feram venabulo exce-
pit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque
spec-

Motu. Ita MStorum auctoritate Gron. et Ruhk. Antea legebatur *mole*, quod ita forte defendi posset, si dicamus Horatianum illud » Vis consili expers mole ruit sua" Senecae in animo fuisse; quem poëtam etiam hoc libro saepius expressit: v. c. mox (§ 6) » *inter* » *ruinas publicas rectum*" cogitasse videtur justum ac tenacem virum, quem » si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae." Paulo post *nobiles edet operas* expressa forte sint ex Horatiano » Catonis nobile letum" ut hic locus Bentleji emendationi » anne Curti" opponi possit. — Uterque Leid. habet *motu:* librariis autem proclive fuerit hoc scribere pro difficiliore *mole*.

Ducit. Fabr. *duxit*, quod fortasse melius.

Ceciderit. Ruhk. solus edidit *occiderit;* ceteri, quos vidi omnes, etiam Mss. *ceciderit;* hoc igitur visum est restituendum.

5. *Impetum capiunt Dii spectandi*, i. e. cupido Deos incedit spectandi: quae locutio Suetonio frequens. Ex ea non intellecta fluxisse videtur Codicum, etiam Leid. lectio, quam Pinc. quoque in suo exemplo habuit: *si aliquando impetum capiunt. Spectant Dii:* unde Pinc. et Gron. fecere *si quando i. e. spectandi.* Lips. et Ruhk. ante *spect.* inseruere *Dii*, quos secutus sum, nisi quod auctoritate Codd. dedi *aliquando*, quod nonnunquam in graviori oratione, ut h. l. post *si* usurpatur.

Interritus. Fabr. *inter ictus*.

spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit.
6 Non sunt ista, quae possunt Deorum in se vultum convertere, sed puerilia, et humanae oblectamenta levitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter
7 ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia in unius ditionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat: Cato, qua exeat, habet. Una manu latam libertati viam faciet. Ferrum istud, etiam civili bello purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas. libertatem, quam patriae non potuit, Catoni dabit. Aggredere anime diu meditatum opus; eripe te rebus humanis. Jam

Honestior. Arn. *honestius*, quod frigidius videtur.

6. *Possunt.* Voss. *possint.* Idem contra pro *respiciat*, quod mox sequitur, *respicit.*

Sed. in Voss. deest: Fabr. habere videtur *haec.*

Mala fortuna. Cod. uterque *fortuna mala.* Voss. mox *et si* pro *si et.*

Habeat. Cod. Fabric. *hanc*, errore credo librarii.

Rectum. Antiquitus legebatur notante Pinc. *erectum;* sed illud firmatur alio loco, infra, III, 4. » *rectissimum*," et *Epist.* XXXVII, 2. » *recto tibi invictoque moriendum est.*" Aliud est *erecta consilia*, *Epist.* XLI, 2. et quod supra habuimus, » vir modo et erectus."

7. *Ditionem.* Non intellectum a librariis: Fabric. enim habet *conditione.* Voss. *conditionem.*

Etiam. pro *in* Pinc. ex antiqua lectione scripsit.

8 Jam Petreius et Iuba concurrerunt, iacentque alter alterius manu caesi. Fortis et egregia fati conventio, sed quae non deceat magnitudinem nostram! tam turpe est Catoni, mortem ab ullo petere, quam vitam. Liquet mihi, cum magno spectasse gaudio Deos, cum jam ille vir, acerrimus sui vindex, alienae saluti consulit, et instruit discedentium fugam: dum etiam studia nocte ultima tractat, dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit, et illam sanctissimam animam, indignamque quae ferro contaminaretur, manu
9 educit. Inde crediderim fuisse parum certum et efficax vulnus. non fuit Diis immortalibus satis, spectare Catonem semel: retenta ac revocata virtus est, ut in difficiliori parte se ostenderet. Non enim tam magno animo mors initur, quam repetitur. Quidni libenter spectarent alumnum suum, tam claro ac memorabili exitu evadentem? mors illos consecrat, quorum exitum et qui timent, laudant.

III.

8. *Concurrerunt.* Cod. Voss. *corruerunt.*

Jam, quod huic descriptioni praeclare inservit, abest a Cod. Voss.

Discedentium. Pro eo *diffidentium* alios habere, in ejusdem cod. margine notatum est.

Dum etiam studia. Cod. Fabric. *dum studia etiam*, quod nesciam an melius sit. Voss. *fastidia studia etiam.*

9. *Efficax.* Arn. *inefficax.*

Revocata. Pro eo codices quosdam habere *renovata* monet Pinc.

Difficiliori. Cod. Leid. *difficiliore.*

Initur. *Mortem inire*, rara dictio: mutarunt igitur in *immittitur*, ut habet et Arn. et Cod. Voss. Illud tamen exstare videtur in Fabric., sed linea primae literae superposita, *initur.*

Et qui. Arn. et Voss. *etiam qui.*

III. Sed iam procedente oratione ostendam, quam non sint, quae videntur, mala. Nunc illud dico, ista quae tu vocas aspera, quae adversa et abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt; deinde pro universis, quorum maior Diis cura est, quam singulorum: post haec, volentibus accidere; ac dignos malo esse, si nolint. His adiiciam, fato ista fieri, et recte eadem lege bonis evenire, quâ sunt boni: persuadebo inde tibi, ne unquam boni viri miserearis. potest enim miser
2 dici, non potest esse. Difficillimum, ex omnibus quae proposui, videtur quod primum dixi: pro ipsis esse, quibus eveniunt, ista, quae horremus ac tremimus. Pro ipsis est, inquis, in exsilium proiici, in egestatem deduci liberos, coniugem efferre, ignominia affici, debilitari? Si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro et igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam et radi ossa et le-

CAPUT III.

Cura et, quam singulorum. Voss. *cura, quam singulorum est.*

Fieri et. Voss. *sic.* Fabric. *sic ei.* Schott. omisit *et.*

Sunt boni. Voss. *boni sunt.*

Persuadebo. Idem *persuadeo.*

2. *Quod primum dixi.* Absunt haec ab Arn. editione.

Tremimus. Efficacius quam quod habet Voss. *timemus.*

Efferre. Fabric. *hec ferre.*

Hoc. Voss. *haec.* Vulgatam defendit locus infra § 12: "quid per *hoc* consequar." ubi etiam plura memorata erant. Idem mox *et siti* pro *ac siti.*

Sed. Fabr. omisit.

Et legi. Desiderantur haec in Voss. In exemplo Pinc. fuit *et laedi.*

legi, et extrahi venas, et quaedam amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse, quibus accidunt, tam mehercules, quam quaedam quae laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectaverunt, simillima cruditatibus ebrietatibusque et ceteris, quae necant per voluptatem. Inter
3 multa magnifica Demetrii nostri, et haec vox est, a qua recens sum: sonat adhuc, et vibrat in auribus meis. « Nihil, » inquit, « mihi videtur « felicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. » Non licuit enim illi se experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum, male tamen de illo Dii judicaverunt; indignus visus est, a quo vin-

Extr. venas. Voss. neglecta structurae venustate *venas extrahi:* similiter mox *corporis pernicie.*

Pro his. Idem habet *pro ipsis* e praecedentibus. Paulo post *et app.* pro *atque app.*

Delectaverunt. Fabr. *delectaverint.* Melior autem indicativus videtur, quo in hac structura supra etiam usus erat: » pro his esse, » quibus *accidunt.*" Neque perfecti semper contractam formam ponit; mox enim *judicaverunt.*

Simillima. Voss. *similia*, sed hujus loci gravitati et mori Senecae convenit superlativus. Cf. *Cons. ad Marc.* III. 3.

3. *Sonat.* Voss. praefigit *et*, quod majore cum vi omitti videtur.

Experiri. Voss. *experire.*

Ut ex voto — ut ante votum. Utroque loco pro *ut* Voss. habet *utrum:* Pinc. veterem hanc memorat lectionem: *ut e. v. i. fl. o. immo et ut ante votum:* sed illa *immo et* elegantius intelliguntur.

De illo Dii. Voss. *Dii de illo.*

A quo vinc. cet. In eodem locum ita refictum videmus: *a quo vinceretur. Aliquando fortuna ignavissimum quemque refugit.* Paulo post habet *mihi istum.*

vinceretur aliquando fortuna, quae ignavissimum quemque refugit, quasi dicat: Quid ego istum mihi adversarium assumam? statim arma submittet. non opus est in illum tota potentia mea: levi comminatione pelletur. non potest sustinere vultum meum. Alius circumspiciatur, cum quo con-
4 ferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi: et scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna, fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque et rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam inten-
5 dat. Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exsilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna, non invenit. Infelix est Mucius, quod desterâ ignes hostium premit, et ipse a se exigit erroris sui poenas?

Subm. Fabr. *summitet.* Voss. *demittet.*

Sust. vult. m. Hic rursus orationis numero soluto *vultum meum sustinere.*

4. *Alius circumsp.* Arn. *Alius enim conspiciatur.*

Conferre possimus manum. Voss. *poss. conf. m.* Fabr. pro *possimus* habet *possumus.*

Adversus. Voss. *adversum.*

Intendat. Idem *intentet.* Utrumvis bonum videtur, sed illud exquisitius.

5. *Rutilio.* Fabr. *incilio.*

Mortem in Cat. Omisit haec Arn.

Dextera. Codd. Leid. *dextra*, quod h. l. minus numerose sonat.

Et ipse. Voss. *quod ipse:* quae lectio, quamvis elegans, non tamen invitis ceteris recipienda visa est. Profectam esse credo ab ali-

nas? quod regem, quem armatâ manu non potuit,
exustâ fugat? Quid ergo? felicior esset, si in si-
6 nu amicae foveret manum? Infelix est Fabricius,
quod rus suum, quantum a republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat illas ipsas radices, et herbas, quas in agro triumphalis senex vulsit? Quid ergo? felicior esset, si in ventrem suum longinqui litoris pisces, et peregrina aucupia congereret? si conchyliis Superi atque Inferi maris pigritiam stomachi nauseantis erigeret? si ingenti pomorum strue cingeret primae formae fe-

aliquo, qui in sqq. ingeminatam viderat particulam *quod:* » *infelix* » *est Fabricius, quod rus suum fodit, quod bellum gerit,*" cet. Neque tamen haec forma perpetuo ibi servatur: de Rutilio enim ait: *quod Syllae aliquid negavit, et revocatus longius fugit.*

Fugat. Voss. *fugavit*, quod non magis probandum videtur, quam quod mox pro *amicae* Fabr. habet *amicitiae*, *rursum* pro *rus suum*, et *fovit* pro *fodit.*

6. *In agro.* Post haec verba in prioribus edd. additum erat *repurgando*, quod Lipsio suspectum, cum in nonnullis codd. abesset, ejecit Ruhk. Uterque Leid. ordine contrario praefert *in repurg. agro*, quo probabilius fit, illud alienum esse. Vitium inde fluxisse conjicias, quod aliquis Curium cum Fabricio confundens, ad *radices* interpretandi causa *rapas* in margine posuerit, idque minus clare scriptum postea refinxerit alius in *repurgando.*

Vulsit. Exquisitius videtur, quam quod habet Arn. *evulsit.*

Si conch. Superi. Fabr. *Sed conciliis superni.*

Pigr. stom. naus. erigeret. Eleganter dictum pro *pigrum stomachum et nauseantem.* Id cum fugeret librarios, Fabr. et Arn. pro *erigeret* habent *exigeret.* — *Erigi stomachus* dicitur etiam notante Lipsio, *Nat. Quaest.* IV, 13. Voss. *nauseantis stomachi.*

Cingeret. Hoc verum videtur. Fabr. *cingerentur*, quod parum abest a lectione Lipsio memorata, nec tamen probata: *cingeretur, primae formae feras c. m. c. v. deglutiret.*

7 feras, captas multa caede venantium? Infelix est
Rutilius, quod qui illum damnaverunt, causam
dicent omnibus seculis? quod aequiore animo pas-
sus est se patriae eripi, quam sibi exsilium? quod
Syllae dictatori solus aliquid negavit, et revocatus
non tantum retro cessit, sed longius fugit? Vi-
derint, inquit, isti, quos Romae deprehendit fe-
licitas tua. Videant largum in foro sanguinem, et
supra Servilium lacum (id enim proscriptionis Syl-
lanae spoliarium est) senatorum capita, et passim
vagantes per urbem percussorum greges: et multa
millia civium Romanorum, uno loco post fidem,
immo per ipsam fidem trucidata. Videant ista,
8 qui exsulare non possunt! Quid ergo? felix est
L. Sylla, quod illi descendenti ad forum gladio
submovetur, quod capita sibi consularium virorum
pa-

7. *Dicent.* Fabr. *diceret:* mox *eripere* pro *eripi* et *soli* pro *Syllae.*

Non tantum retro cessit. Lips. post *tantum* addendum putat *non;* Gronov. interpretatur, quasi fuisset additum. Equidem potius cum Ruhkopfio sic explicem, ut Rutilius non tantum retro cesserit a loco, quo cum Sylla collocutus erat, sed longius etiam a loco, ubi exsulabat, in ulteriora fugerit.

Vid. inq. isti. Antea legebatur: *Vid. inq. hoc isti*, sed *hoc* Lips. et Gronov. ejecerunt, in codd. nonnullis, etiam in utroque Leid. non exstans.

Servilium. Codd. Leid. *Servilianum.* sed vulgatam tuetur Ciceronis (*pro Rosc. Am.* 32) locus a Lipsio allatus.

Vagantes. Fabr. *vagantis.*

8. *Illi descendenti.* Voss. *illo descendente.* Mox uterque *summovetur.*

Sibi. Non habent editt. sed ambo MSS. Leid. Dignum putavi, quod in textum reciperetur.

patitur appendi, et pretium caedis per quaestorem ac tabulas publicas numerat? et haec omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit! Veniamus ad Regulum! quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiae fecit? Figunt cutem clavi, et quocunque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit, in perpetuam vigi-
9 liam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriae. Vis scire, quam non poeniteat hoc pretio aestimasse virtutem? refice tu illum, et mitte in senatum: eandem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, quaeritur? Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat:

Appendi. Quasi per trutinam, ut explicat Ruhk. Alteram lectionem *ostendi*, quam etiam Leidd. habent, ex interpretatione natam esse eidem assentior. Paulo ante pro *quod capita* Voss. *quot capita.*

Ac tab. Voss. *et tab.* Et mox *illud docum.* Arn. *illi docum.*

Clavi. Voss. *clavis*, multo minus eleganter.

In perp. Ruhk. et reliqui *et in perp.* Codd. Leid. *et* omittunt. Elegantius videtur hoc asyndeton, quam quod a librario proficisci potuerit. Itaque recepi.

9. *Tu*, quod h. l. vim orationi addit, abest ab utroque Cod. *Refice* sine lit. majusc. scripsi auctore Stephano *Prood. p.* 144.

Putas. Voss. *dices*, e praec. *dicet* repetitum. Mox idem pro *morosae* barbarum habet *amorosae.*

Avocet. Elegantior hujus verbi vis fugit librarium Voss. codicis, qui pro eo scripsit *somnum advocet.* Idem suo more *anxiam mentem* pro *ment. anx.*

lat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, et ad causam a patientia respicit: hunc voluptatibus marcidum, et felicitate nimia laborantem,
10 magis his quae patitur vexat causa patiendi. Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit. Male tractatum Socratem iudicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam? male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto
11 venarum vigor constitit? Quanto magis huic invidendum est, quam illis quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, exsectae virilitatis, aut dubiae, suspensam auro nivem diluit? Hi quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, et

Vigilabit. Fabr. *vigilavit*, et mox *pluvia* pro *pluma*, et *tollerare.*

Causa patiendi. Fabr. *causam patiendi.* Voss. *causa patienda.*

10. *Reg. nasci.* Fabr. *nasci Reguli.* Voss. *nasci Regulos:* ac mox etiam *Regulos* pro *Regulum.*

Tractatum. Arn. *tentatum.*

11. *Biberint.* Codd. Leid. *biberunt.* Illud defenditur loco infra IV, 7: » quidquid illis inciderit, novum veniet.''

Remetientur. Arn. lectio *remittunt* ex interpretatione videtur orta.

et bilem suam regustantes: at ille, venenum laetus et libens hauriet. Quod ad Catonem pertinet, satis dictum est: summamque illi felicitatem contigisse, consensus hominum fatebitur; quem sibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collide-
12 ret. « Inimicitiae potentum graves sunt? oppo- « natur simul Pompejo, Caesari, Crasso. Grave « est, a deterioribus honore anteiri? Vatinio « postferatur. Grave est, civilibus bellis interes- « se? toto terrarum orbe pro causa bona tam « infeliciter, quam pertinaciter, militet. Grave « est, sibi manus afferre? faciat. Quid per hoc « consequar? ut omnes sciant, non esse haec « mala, quibus ego dignum Catonem putavi."

IV. Prospera in plebem ac vilia ingenia deveniunt:

Regustantes. Fabr. *gustantes.* Et mox *bibens* pro *libens*, frigide.

Hauriet. Fabr. *hausit*, sed amat in his futurum Seneca, etiamsi de mortuis sermo sit, veluti supra de Maecenate *vigilabit*, ubi Fabr. item habebat perfectum.

Quod ad Cat. pertinet. Voss. *quantum ad Catonem*, omisso *pertinet.* Illud autem, cum sit minus usitatum, hujus loci gravitati aptius videtur.

Collideret. Fabr. *colluderet.* Videtur igitur librarius *metuenda* pro fem. sing. habuisse, cum sit neutrum plurale: *res omnes metuendas*, ut infra VI, 4, *metuenda contemnere.*

12. *Potentum.* Codd. Leid. *potentium.*

Civil. Fabr. *civibus*, et mox *manus sibi.*

Hoc. Etiam h. l. quo III, 2 usus sum ad defendendam lectionem *hoc*, Voss. habet *haec.* Vix tamen credibile Senecam in tam elaborata oratione tam parvo intervallo bis eandem syllabam posuisse: sequitur enim paucis interjectis *haec mala.*

CAPUT IV.

1. *Deveniunt.* Tamquam homines, de quibus hoc verbum plerum-

niunt: at calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem, et sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus es vir: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis?
2 Descendisti ad Olympia: sed nemo praeter te: coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam consulatum praeturamve adepto: honore auctus es. Idem dicere et bono viro possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua una vim
3 sui animi ostenderet: miserum te judico, quod nunquam fuisti miser; transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris: ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui, experimento. Quod quisque posset, nisi tentando non di-

rumque videtur usurpari. Minus igitur elegans, quod Fabr. habet *eveniunt.*

2. *Sed.* Veterem hanc Schotti et Lipsii lectionem, cui Fabr. accedit, revocandam putavi, cum Gron. et Ruhk. habeant *si.* — *Sed* ea praesertim de causa magis placet, quod h. l. comparationem habemus, in quali oratione concisum hoc dicendi genus, quo res ipsa quasi pingitur, amat Seneca: v. c. supra de Regulo non: *si reficias illum et mittas in senatum*, sed brevius et efficacius ait: *Refice tu illum*, cet.

3. *Una.* Voss. *unam*, quod et suos quosdam codd. habere testatus Lips. legendum conjicit *vivam.* Non opus mihi videtur, si cum Ruhk. locum sic intelligas: „ne unam quidem occasionem habuit „vim sui animi ostendendi.'' Simili forma utitur *Epist.* XCIX. 10: „de eo queruntur omnes, in quo uno nemo decipitur.'' Voss. *animi sui.*

Quod. Voss. *qui.* Bonum sensum praebet, illud tamen praeferam,

didicit. Itaque quidam ultro se cessantibus malis obtulerunt, et virtuti iturae in obscurum occa-
4 sionem, per quam enitesceret, quaesierunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. Triumphum ego mirmillonem sub C. Caesare de raritate munerum audivi querentem: « Quam bella," inquit, « aetas perit!" Avida est periculi virtus, et quo tendat, non quid passura sit, cogitat: quoniam et quod passura est, gloriae pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, laeti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint, qui integri revertuntur

ram, ut acutius: miserum ob id ipsum, quod cet. Mox pro *quod quisque* Fabr. *quid quisque*. De quorum discrimine notavit Ern. *ad Ciceronem*.

Se. Voss. *viri fortes*. Diversitatem ortam opinor e sqq. *magni viri* et *fortes milites*. Mox uterque cod. pro *enit.* minus eleganter *enitescerent*.

4. *Inquam*. Fabr. *inquit*. Illud autem Seneca frequenter interponit, ubi majore cum vi aliquid affirmat, ut mox. » Ipsis, inquam, Deus consulit." *Epist.* XC, 27: » Non est, inquam, instru» mentorum ad usus necessarios opifex."

Bellis. Triumphum ego. Gronovii Rubeniique conjecturam elegantem recepi, qui Triumphum nobilem gladiatorem a Martiali memorari viderant *Epigr.* 20. — Editt. antiquae et Codd. *Belli triumpho. Ego*, vel, ut habet Fabr. *Ergo*. Muretus *belli* in *bellis* mutato *triumpho* delevit. Quod reduxit Ruhk. ita legens: *bellis. Triumpho ego*. Sed melior videtur accus. quem in ablat. facile mutare potuit librarius ad similitudinem antecedentis *adversis*.

Tendat. Fabr. *tendit*, et mox *etiam quid* pro *et quod*.

Casu. Lipsio difficile visum, ideoque *caussa* rescribi voluit. Sed *meliorem casum* interpretari possumus fortunam clementiorem, qua factum est, ut vulnus non letale sit. Ita fere Gron. et Ruhk. Pro *ost*. Fabr. *ostendant*.

tur ex acie, magis spectatur qui saucius redit.
5 Ipsis, inquam, Deus consulit, quos esse quam
honestissimos cupit, quoties illi materiam praebet
aliquid animose fortiterque faciendi: ad quam
rem opus est aliqua rerum difficultate. Guber-
natorem in tempestate, in acie militem intelligas.
Unde possum scire, quantum adversus pauper-
tatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? unde
possum scire, quantum adversus ignominiam et
infamiam, odiumque populare, constantiae ha-
beas, si inter plausus senescis? si te inexpugna-
bilis, et inclinatione quadam mentium pronus
6 favor sequitur? Unde scio, quam aequo animo
laturus sis orbitatem, si, quoscunque sustulisti,
vides? Audivi te quum alios consolareris: tunc
conspexissem, si te ipse consolatus esses, si te
ipse dolere vetuisses. Nolite, obsecro vos, ex-
pavescere ista, quae Dii immortales velut stimu-
los admovent animis! Calamitas virtutis occasio
est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia
felicitate torpescunt, quos velut in mari lento
7 tranquillitas iners detinet. Quidquid illis inci-
derit, novum veniet. Magis urgent saeva inex-
pertos. Grave est tenerae cervici jugum. Ad
su-

5. *Si te.* Lips. haec suo Codici deesse scribit. Desunt et Fabr. Melius tamen addi videntur.

Inexp. Idem Lipsii Cod. *inexpugnabiliter.*

6. *Dolere.* Fabr. *dolore.* Paulo post pro *iners* Arn. *itineris.*

7. *Tenerae.* Vulgatam retinui, licet in nonnullis Codd. sit *ferre*, unde Lips. conjecit *ferae cervici*, i. e. non domitae. Sed *ten.* ita scriptum *tenere* librariis *verbum* visum esse credo, qui idcirco dictio-

suspicionem vulneris tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se saepe vicisse post sanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis vide-
8 tur dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut luctu, aut aliis incommodis, afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut praesidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit, « Male de me imperator meruit:" sed, « Bene ju-

ctioni insolitae *jugum tenere* substituerint faciliores *ferre jugum*, et *terere jugum*. Illud habet etiam Arn. hoc Fabr. uterque pro *cervici* addito *cervicibus*.

8. *Aut luctu*. Haec verba, quae commodum sane sensum offerunt, adjeci auctoritate MSti Fabr. et editionis Schott. In illo legitur: *aut luctu, aut incomm.* omisso *aliis*, quod tamen probum videtur, siquidem incommoda non sunt peculiaris calamitatum species, a mala valetudine luctuque diversa, sed genus, quod haec etiam complectitur. — Apud Schott. totum hoc postremum deest, legiturque: *aut m. v. aut luctu afficit*.

Quare in. Fabr. *quia in*. Sed multo elegantius quaestio quaestioni regeritur. Cf. infra V, 2: » At *iniquum* est, bonum virum cet. — Quid porro? non est *iniquum*". cet.

Iter. Lips. cum in duobus Codd. inveniret *interdum*, inde conjecit *interdiu*, quod responderet *nocturnis insidiis*. Mihi cum Ruhk. servandum videtur *iter*, pro quo facilius scribi potuit *interdum*, quam contra.

judicavit." Idem dicant quicunque jubentur pati timidis ignavisque flebilia: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, qua animi permadescunt, nisi aliquid intervenit, quod humanae sortis admoneat, velut
9 perpetua ebrietate sopiti. Quem specularia semper ab afflatu vindicarunt, cujus pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cuius coenationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit, hunc levis aura non sine periculo stringet. Cum omnia, quae excesserunt modum, noceant; periculosissima felicitatis intemperantia est. Movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falsum ac verum mediae ca-
10 liginis fundit. Quidni satius sit, perpetuam infelicitatem, quae advocat ad virtutem, sustinere, quam infinitis atque immodicis bonis rumpi? Levior ieiunio mors est: cruditate dissiliunt.

Hanc

Jubentur. Fabr. *jubent.* Idem infra pro *nisi* habet *et nisi.*

9. *Vindicarunt.* Fabr. *vindicaverunt*, quod melius fortasse propter Senecae consuetudinem.

Fomenta. Duo Lipsii codd. *segmenta:* unde legi volebat *tegmenta:* vulgatam tuetur Gron.

Subinde mutata. Desiderantur in uno Lipsii.

Felicitatis. Fabr. *felicitas.*

Mentem. Idem *mentes.* Singularem et euphoniae causa praefetam, et quia *cerebrum* antecessit.

10. *Quidni.* Post hanc vocem Fabr. addit *id*, et mox ita turbatum exhibet locum: *in felicitatem advocat a virtute, sustinere.*

Jejunio, quod et Fabr. habet, a Gron. et Ruhk. defenditur adversus Lipsii conjecturam *e jejunio.* Veteres editt. ut Schotti, *jejuno.*

Dissiliunt. Habet hoc etiam Fabr. et explicatur a Gron. ut non opus sit Lipsii conjectura *difficilis* aut *dissimilis.*

Hanc itaque rationem Dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, et laceros ac semianimes rogant, perseverent
11 vulnera praebere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos spiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos et lacerat fortuna? patiamur. non est saevitia: certamen est. quo saepius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit. Praebendi fortunae sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciat. contemtum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura: agricolis manus tritae: ad excutienda tela militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod
12 exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientiâ pervenit: quae quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis et inopia fortioribus, labor praestet.

Esse. Fabr. *esses*. Mox pro *perseverent* idem *perseverant*, Arn. *perseveranter*.

11. *Patiamur*. Fabr. *patimur*. Infra pro *ipsam* habet *illam*, et *duremus* pro *duremur*. Haec omnia vulgatae postponenda esse, facile quisque videt.

Ferendo. Idem *efferendo*. Et mox *patientiam vel potentiam malorum*.

stet. Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit: Germanos dico, et quidquid circa Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste coelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in
13 alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit. paulatim enim voluptati sunt, quae necessitate coeperunt. Nulla illis domicilia, nullae sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit; vilis, et hic quaerendus manu, victus; horrenda iniquitas coeli, intecta corpora: hoc quod tibi
14 calamitas videtur, tot gentium vita est. Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, et aequo animo ferre, quae non sunt mala, nisi male sustinenti.

V. Adiice nunc, quod pro omnibus est, optimum

12. *Istrum.* Adspiratio praefigitur in eodem. Pro *vagarum* est *vagorum.* Conjicere possis, hoc solum retinendum esse, *vagorum* scil. hominum, ne *gentium* post *gentes* tam brevi spatio recurrat.

13. *Nullae.* Fabr. *nullaeque.* Et in fine cap. *intenti* pro *interriti.*

CAPUT V.

Adjice. Fabr. *adjicite.* Sed formula solennis haec est apud Senecam, ubi novam afferre rationem incipit, *adjice nunc, quod,* velu-

mum quemque, ut ita dicam, militare, et edere operas. Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere haec, quae vulgus appetit, quae reformidat, nec bona esse, nec mala: apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; et mala esse, si malis tantum irrogaverit. Detestabilis erit caecitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt. Itaque careant luce Ap-
2 pius et Metellus. Non sunt divitiae bonum. Itaque habeat illas et Ellius leno: ut homines pecuniam cum in templis consecraverint, videant et in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita traducere, quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. « At iniquum est, bonum virum de« bilitari, aut configi, aut alligari; malos integris
3 « corporibus solutos ac delicatos incedere." Quid porro? non est iniquum, fortes viros arma sumere, et in castris pernoctare, et pro vallo obligatis stare vulneribus: interim in urbe securos esse, percisos et professos impudicitiam? Quid porro? non est iniquum, nobilissimas virgines ad sacra facienda no-

luti *de Const. Sap.* IX, 2. *de Ot. Sap.* XXXII, 17. *de Vita beat.* VII, 1. *Epist.* LXXIII. Itaque vitiosum etiam videtur *addite*, quod h. l. legitur in *Senecae Opusc. philos. select. minor. ex officina Joannis Mairii.*

Quod, quasi esset *ut*, intellexisse videtur librarius, qui in Fabr. posuit *quod sap. viro ostenderet.*

Reform. Idem *formidat.*

2. *Ad turp.* Idem *turpissimus* sine *ad.* Et mox *virum bonum* pro *bonum virum.*

Configi, in cruce clavis, ut Lips. explicat probante Ruhkopfio. Schott. *constringi*, quod ex ingenio Mureti fluxisse putat Lips. Arn. *confringi.*

noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem saepe consulitur, cum illo tempore vilissimus quisque, aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. Idem in hac magna republica fit: boni viri laborant, impendunt, impenduntur, et volentes quidem: non trahuntur a fortuna, sequuntur illam, et aequant
4 gradus. si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrii fortissimi viri vocem audisse me memini: « Hoc unum," inquit, « Dii immortales, « de vobis queri possum, quod non ante mihi vo« luntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad « ista venissem, ad quae nunc vocatus adsum. Vul« tis aliquam partem corporis? sumite. Non ma« gnam rem promitto. cito totum relinquam. Vultis « spiritum? Quidni? nullam moram faciam, quo « minus recipiatis, quod dedistis. a volente feretis, « quidquid petieritis. Quid ergo est? maluissem « offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? « accipere potuistis. Sed ne nunc quidem auferе« tis: quia nihil eripitur, nisi retinenti. Nihil co« gor,

3. *Frui.* Deest Fabr.

4. *Dii imm. de vob.* Fabr. ordine minus, ut videtur eleganti: *de vob. Dii imm.* Arn. *vobis* omisit.

Adsum. Fabr. et Schott. *assum.*

Illos vob. Hic item Fabr. *vob. ill.* Vulgata magis placet. Arn. *offero* pro *sustulit.*

Sumite. Fabr. *sumito.*

Retinenti. Trillerus *Observ. p.* 140. *ἐμφατικώτερον* esse putat *renitenti.* Imo major mihi videtur in altero vis esse, *retinenti:* at, inquit philosophus, ego ne retineo quidem, libens trado.

« gor, nihil patior invitus, nec servio Deo. sed
« assentio: eo quidem magis, quod scio omnia certâ
5 « et in aeternum dictâ lege decurrere." Fata nos
ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est: quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit: accepimus peritura
6 perituri. Quid ita indignamur? quid querimur?
ad hoc parati sumus. Utatur, ut vult, suis natura corporibus: nos laeti ad omnia et fortes cogitemus, nihil perire de nostro. Quid est boni viri? praebere se fato. Grande solatium est, cum universo rapi. Quidquid est quod nos sic vivere iussit, sic mori: eadem necessitate et Deos alligat. irrevocabilis humana pariter ac Divina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fa-
7 ta, sed sequitur: semper paret, semel iussit. « Qua-
« re tamen Deus tam iniquus in distributione fati
« fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, et
« acerba funera adscriberet?" Non potest artifex mu-

Assentio. Saepius hac verbi forma Noster utitur, ut *Nat. Q.* III, 15, 2. Fabr. *assentior.*

5. *Quantum cuique.* Fabr. addit *temporis.* Idem in suo libro Lips. invenit: commode tamen intelligitur.

6. *Quid ita.* Fabr. *quid itaque*, sed illud eandem fere vim habet, et cum Graeco *τί εἶτα* convenit: habuimus hujus libri init. *ad o. e. fortes.* Fabr. *et f. a. omnia;* minus oratorie. Similiter mox *jussit* post *mori* ponit.

mutare materiem: haec passa est. Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt. Languida ingenia, et in somnum itura, aut in vigiliam somno simillimam, inertibus nectuntur elementis: ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est. Non erit illi planum iter: sursum oportet ac deorsum eat, fluctuetur, ac navigium in turbido regat. contra fortunam illi te-
8 nendus est cursus. Multa accident dura, aspera, sed quae molliat et complanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Vide quam alte ascendere debeat virtus: scies illi non per secura vadendum esse.

Ardua prima via est, et qua vix mane recentes
Enitantur equi: medio est altissima coelo:
Unde mare et terras ipsi mihi saepe videre
Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus.
Ultima prona via est, et eget moderamine certo.
Tunc

7. *Haec passa est.* »Materia passa est, ut formaretur in id, quod fieri potuit.« Ita Ruhk. Fabr. *hoc passa est.*

Dicendus. Arn. *dicens.* Illa vero dictione saepius utitur, ut *de Tranq. An.* XIV, 6. et *de Benef.* IV, 1. ubi Sallustium ejus auctorem laudat.

8. *Molliat.* Fabr. *molliant.* Mox *sciens* pro *scies.*

Ascendere an *escendere* singulis locis legendum sit, difficile est ad definiendum: quis dicat, an utramque formam Seneca usurpaverit? Ruhkopfium in his secutus sum. Hoc loco Gron. edidit *escendere*, cui favet vitiosa Fabr. lectio *extendere.*

Enitantur. Fabr. et editt. ante Ruhk. *enituntur.* Hic dedit, ut est in Ovidio (*Metam.* II, 63. *sqq.*)

Fit. Fabr. *sit*, solenni confusione. Mox idem *pavidi*, quod est quidem elegans; in Ovid. tamen *pavida* legitur. Pro *ipsa* Fabr. *una.*

Tunc etiam, quae me subiectis excipit undis,
Ne ferar in praeceps, Tethys solet ipsa vereri.

Haec quum audisset ille generosus adolescens, « Placet, " inquit, « via. escendo. est tanti per « ista ire casuro. " Non desinit acrem animum territare:

Utque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri,
Aemoniosque arcus, violentique ora Leonis.

Post haec ait: Junge datos currus! his quibus deterreri me putas, incitor: libet illic stare, ubi ipse sol trepidat. humilis et inertis est, tuta sectari: per alta virtus it.

VI. « Quare tamen bonis viris patitur aliquid « mali Deus fieri ? " ille vero non patitur. Omnia mala ab illis removit, scelera et flagitia, et cogitationes improbas, et avida consilia, et libidinem caecam, et alieno imminentem avaritiam: ipsos tuetur

9. *Per ista ire casuro*, i. e. quamvis cadendum mihi sit, hoc non curo, dummodo per ista incedam. Loco non intellecto Fabr. habet *pro ista re cas.*

Junge datos currus. Cum Ovid. *vs.* 79. Solem dicentem faciat *Finge datos curros*, illa *I. d. c.* Muret. omisit. Sed recte observare videtur Lips. liberum Senecae fuisse, ea leviter immutare, ut Phaëthonti convenirent.

Sectari. Elegantem habet Arn. lectionem *secare*, quae fere videri possit in textum esse recipienda. Sed fortasse in illis *tuto sectari* expressit Horat. *A. P.* 26. *lenia sectari.*

CAPUT VI.

Removit. Fabr. *removet*, quod ortum videtur e sqq. *tuet.* ac *vind.* Hic tamen perf. malim.

tur ac vindicat. Numquid hoc quoque a Deo ali-
quis exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas
servet? remittunt ipsi hanc Deo curam: externa
contemnunt. Democritus divitias projecit, onus il-
las bonae mentis existimans: quid ergo miraris, si
id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus
2 aliquando vult sibi accidere? « Filios amittunt viri
« boni.” quidni, cum aliquando et ipsi occidant?
« In exsilium mittuntur.” quidni; cum aliquando
ipsi patriam non repetituri relinquant? « Occi-
« duntur.” quidni, cum aliquando ipsi sibi ma-
nus afferant? « Quare quaedam dura patiuntur?”
3 ut alios pati doceant: nati sunt in exemplar. Puta
itaque Deum dicere: « Quid habetis, quod de me
« queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis
bona falsa circumdedi, et animos inanes velut lon-
go fallacique somnio lusi, auro illos argento et
ebore ornavi: intus boni nihil est. Isti, quos pro
felicibus aspicitis, si non, qua occurrunt, sed qua
latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad
similitudinem parietum suorum extrinsecus culti.
Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est,
4 et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, et
ad arbitrium suum ostendi, nitent et imponunt:
quum

Bono. Non opus videtur addere *viro* cum Fabr. qui mox omittit *viri.*

2. *Et ipsi.* Desunt apud Arn.

In. Huic voci Fabr. praefigit *et* contra Senecae in his consuetudinem

Sibi manus. Fabr. inverso ordine, ut supra III. 12.

3. *Longo fall.* Fabr. *longuo facilique.* Mox *et argento.*

Orn. Fabr. *adornavi.* Et mox *currunt* pro *occurrunt.*

quum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet, quantum altae ac verae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaveritis, et undique inspexeritis, meliora majoraque. Permisi vobis, metuenda contemnere, cupiditates fastidire; non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contemsit, spectaculo sui laetus. Intus omne posui bonum: non
5 egere felicitate, felicitas vestra est. « At multa in-
« cidunt tristia, horrenda, dura toleratu!" Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi. Ferte fortiter: hoc est, quo Deum antecedatis. ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem: nemo tam pauper vivit, quam natus est. Contemnite dolorem: aut solvetur, aut solvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem; quae vos aut
6 finit, aut transfert. Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos, patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas
es-

4. *Vers. et und. insp.* Fabr. *versaverit aliquis et undique inspexerit.* Pulchrius illud videtur.

Cupid Ita quoque Gron. et Fabr. Nesciam tamen, an melior sit lectio, quam Schottus et Lips. habent *cupienda.*

5. *Quia.* Fabr. *quare.* Contra quam supra IV. 8.

Est. Idem *ut.* Praeferam indicativum, ut iam a verbis *hoc est*, comparatio bonorum cum Deo incipiat.

Contemn. fort. — aut transfert. Locus in Fabr. sic transpositus legitur: *Contemn. mortem, quae aut finit aut transferet vos. Contemn. fort. — dedi.*

6. *Cavi.* Exquisitius, quam quod Arn. habet *curavi.*

esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quam mori. Prono animam loco posui: trahitur. Attendite modo, et videbitis, quam brevis ad libertatem, et quam expedita ducat via. Non tam longas in exitu vobis, quam intrantibus, moras posui: alioqui magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo tam tarde moreretur, quam nas-
7 citur. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renuntiare naturae, et munus suum illi impingere. Inter ipsa altaria et solemnes sacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiscite. Corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere, et magnarum virium animalia humanae manus ictus impellit. tenui ferro commissura cervicis abrumpitur: et quum articulus ille, qui caput collumque connectit, incisus est, tanta illa moles
8 corruit. Non in alto latet spiritus, nec utique ferro eruendus est: non sunt vulnere impresso penitus scrutanda praecordia: in proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinavi locum: quacunque pervium est. Ipsum illud quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, brevius est, quam ut

Attend. Fabr. *Antecedite.*

7. *Abrump.* Idem *adrumpitur.*

Conn. Ita Gron. Non tamen spernenda videtur antiqua lectio, quam tuetur et Fabr., *committit*, i. e. conjungit, unde *commissura* dicitur. Seneca verbum hoc eo sensu ponit etiam *Nat. Q.* II, 2, 2, ubi discrimen inter *commissum* et *continuum* exponit.

8. *Impr. p. scr.* Meliora videntur, quam quae Fabr. habet *penitus impresso scrutata.*

Destinavi. Idem *extimavi.* Voci *perv.* praefigit *in.* Pro *brevius* habet *brevis*, et omittit *ut.*

nt sentiri tanta velocitas possit. Sive fauces nodus elisit; sive spiramentum aqua praeclusit; sive in caput lapsos subjacentis soli duritia comminuit; sive haustus ignis cursum animae remeantis intercidit: quidquid est, properat. Ecquid erubescitis? quod tam cito fit, timetis diu?

Nodus. Non intellectum in Fabr. dedit *modus.* Mox pro *lapsos* legitur *lapsa.*

✻

ANNOTATIO

IN

L. ANNAEI SENECAE

LIBRUM

DE PROVIDENTIA

SIVE

QUARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, CUM SIT PROVIDENTIA.

AUCTORE

B. A. NAUTA,

Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doct.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS.

MDCCCXXVIII.

L. S.

Serius, quam aut spes mea ferebat, aut voluntas, haecce prodit Annotatio. In qua paranda dum occupabar, si modo magna licet componere parvis, saepius expertus sum, quam vere quamque juste magnus ille Wyttenbachius *in* Plutarchi Praefatione *queratur de importuno quodam hominum genere morae impatientium. Tales et me obtuderunt admonitores, usque Cassandreum illud accinentes* quando tandem? *boni illi quidem, sed qui parum intelligerent, horum studiorum longe aliam esse rationem, quam operis sellularii, quod, dum lacerti valeant, quavis hora diurna, nocturna peragere possis; literarios contra labores animum poscere vegetum, alacrem, curis exsolutum, qui neque ad imperatum venit, et subinde relaxatione quadam est reficiendus. Attamen ista res quamvis molesta non omni caret utilitate. Solet enim ita fieri, ut, si librum interpretandum sumseris, cujus cum argumento tot scriptores conjuncti sint, rerum pondere, disputandi acumine, sermonis elegantia praestantes, quot conjuncti sunt cum* Senecae de Providentia *libro, tum legendis iis vix satiari possis, alium alii continues, ejusque lectionis suavitate delinitus ipsum opus, ob quod suscepta sit, diem de die differas. Et hanc in praecipuis mihi morae causis fuisse, non est, quod diffitear. Accesserunt aliae: primum acerba Matris carissimae mors animum afflixit et conturbavit: ex animi dolore morbus insecutus me per aliquot hebdomadas procul a libris, procul a literis in ἀμούσῳ quodam oppidulo detinuit. Tandem me Palladis urbi redditum cura laetior excepit. Eloquar an sileam? qualis Didoni causa fuit, quare minae murorum interruptae penderent, neque coeptae turres assurgerent, simile operis impedimentum objecit amor, sed illius amore felicior. Amori autem quid cum duro Stoico?*

At nunc tandem intermissam telam pertexere, diuque affectatatum opusculum in vulgus emittere licuit, in quo quid non assecutus, sed secutus sim, paucis velim edoceantur Lectores.

Cum

Cum enim, ut praeclare Wyttenbachius *explicuit, omnis antiqui scriptoris interpretatio duplex sibi munus subjectum habeat, quorum alterum in verbis, alterum in rebus illustrandis positum sit, verborum difficultas in hoc scriptore maxime nascitur ex impedita nonnunquam structura, particularum omissione, subito ab alia ad aliam disputandi rationem transitu, quaeque sunt his similia; quod genus diligenter, quamquam, ut mihi videtur, aliquando paulo minutius notavit* Henr. Stephanus *in* Proodopoeia. *Eas igitur difficultates ut expedirem, legendo, meditando, comparando* Senecae *cogitationis veluti cursum investigare conatus sum, eoque tanquam Ariadneo filo gressum regere. Verbis singulis explanandis in hac Literarum luce et Lexici Schelleriani usu vulgatissimo minus operae navandum censui, nisi ubi vel interior cum scriptore contracta familiaritas, aut subsidia quaedam feliciter inventa novae aliquid lucis affundere posse viderentur.*

Res et sententiae ex ceterorum Stoicorum scriptis, Epicteti *maxime et* Antonini, *adhibitis* Gatakeri *commentariis, fuerunt illustrandae. In quo saepe fiebat, ut easdem sententias et comparationes a pluribus usurpatas offenderem. Neque tamen ideo existimandum videtur, haec alios ab aliis esse mutuatos. Imo necessario sic fieri debuit, ut homines ingeniorum similitudine ad ejusdem philosophiae studium adducti, ex iisdem disputandi cogitandique principiis profecti, in multa similia inciderent.*

In Mureti, Lipsii, Ruhkopfii *notis excerpendis delectum adhibere studui; saepe verba ipsorum integra dedi, quia pusilli animi ducebam, iis, quae illi bene docteque explicuissent, leviter immutandis novitatis colorem affectare. Quotiescunque autem aliquid ex eorum penu depromsi, nomina commemoravi, magnorum Virorum famae improbo labore partae id me debere ratus, quod* Ruhkopfius *saepius omisit ob concinniorem, suspicor, quam inierat, annotandi rationem. Neque enim nunc illum vituperabo; de me potius illud in mentem revocabo Lectoribus, quod scripsit* Wyttenbachius: *„in parvi libelli quamvis copioso commentario conficiendo non omnia a nobis exhauriri posse, multaque nostram diligentiam effugere, quae ad rem pertineant."*

Scripsi Leidae die 25 Januarii 1828.

AN.

ANNOTATIO

IN

L. ANNAEI SENECAE

LIBRUM

DE PROVIDENTIA

SIVE

QUARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, CUM SIT PROVIDENTIA.

CAPUT I.

1 *Lucili.* De eo diximus in *Praef. p.* 8. *sqq.* Nunc addimus rationes, ob quas *Lucili*, non *Lucilli* scribendum sit, probabiliter exposuisse Franciscum Dousam *ad Lucil. Reliquias init.* *quid ita.* Romanis ominosum videretur, quod mihi accidit, ut in ipso annotationis ingressu corrigendus sit error, admissus in *Not. crit. ad hujus libri* V. 6. *p.* 63. Illic hanc dictionem *quid ita* convenire scripsi cum Graeco *τί εἶτα*; cogitabam enim de illo satis frequenti apud Graecos usu particulae *εἶτα*, quo, si per genitivum absolutum similemve formam oppositum quid antecesserit, admirationi testandae inservit, ut in loco allato ab Eustath. *ad Il.* B. 216: „*εἴ σοι μηδὲν μετὸν, εἶτ' ἀπεχθάνῃ.*" exempla tamen, ubi *τί εἶτα* sic juncta reperirentur, alicubi exstare sperabam magis quam memineram. Nunc nulla exstare me monuit *Vir Doct.* idemque commodis aliorum liberalissime serviens Bergmannus meus, qui cum haud mediocriter copias meas qualescunque locupletaverit, et ipsi publice gratias agere fas esse duco, et observationes ejus acumini doctrinaeque debitas suis locis cum lectoribus communicare. — *Quid ita* i. e. *qua tandem de causa, qui fit, ut.*

Sic *Nat. Quaest.* IV. 1. §. 11 „ Quaeram enim tecum — — — quid ita Nilus aestivis mensibus abundet."

si Prov. m. ageretur. Similiter ille ap. Boët. *Consol.* I. *p.* 12, „ siquidem Deus est, unde mala? bona vero unde, si non est?" — *ageretur*, i. e. *regeretur.* Ita chorus in *Oed.* 980:

„ Fatis agimur, cedite fatis."

Epist. LXXI, 11: „ non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur." Simili sensu Graecum verbum usurpatur, ut in celebrata Euripidis sententia *Troad.* 886, ubi ad Jovem Hecuba:

„ πάντα γὰρ, δι' ἀψόφου
βαίνων κελεύθου κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις."

Plut. *Crasso* XIV. *p.* 176: „ ὧν οὐδεὶς λόγος, ἂν ἐκεῖνοι συνενέγκοντες εἰς ταὐτὸ τὰς φιλίας, καὶ τὰς ἑταιρείας, ἑνὶ κράτει καὶ μιᾷ γνώμῃ τὴν πόλιν ἄγωσι." Non igitur erat, quod in Sen. *Herc. fur.* 7. *agit* in *regit* mutandum conjiceret *Cl.* Withofius, cujus *Notarum* ineditarum in Senecae *tragoedias* amice copiam mihi fecit *Orn.* Gul. H. D. Suringar: quem juvenem et hac re, et alia multa suppeditando, quae passim in hac *Annot.* memoranda venient, magna me sibi gratia obstrinxisse profiteor. — De Προνοίᾳ, quod nomen Latine Cicero primus more suo reddidit, vid. *Doct.* Martini *Disput. de Cornuto p.* 61. 62.

bonis viris. Ne cogitemus hic de sapiente Stoico, quem aut nunquam, aut phoenicis instar semel anno quingentesimo nasci autumabant. *Epist.* XLII. 1. *Bonos viros* quos per totum hunc librum intelligat Seneca, planius ipse declarat infra VI, 3: „ vos, quibus recta placuerunt." Nonnunquam enim verbis publicis utebatur, non ad Stoicam significationem revocandis. *Epist.* LIX. 1.

commodius. Rursus gratias agendi locus est. *Vir* enim *Celeb.* Voorstius, cui tantum debet Bibliotheca Leidensis, quod est ejus literarum cultores adjuvandi studium, non intra Theologos manens, benigne mihi utendum concessit hujus libelli exemplum typis excusum Lovanii apud Joannem Masium A. 1599, cujus editor, mihi quidem adhuc incognitus pro nomine symbolum gerebat *Fulget Crucis mysterium.* Hoc autem exemplum ingenti numero cum marginales, tum interlineares adscriptas habet annotationes Lipsii,

sii, tanta vero minutie literarum, ut lynceam aciem requirant. Equidem paucissima tantum extricare potui, eaque fere talia, ut magni Polyhistoris manum ipsam oculis usurpanti voluptatem pariant haud illiberalem, ceterum cum eruditorum populo communicata parum utilitatis allatura videantur. Non tamen omnia premenda censui. Velut h. l. verbo *commōdius* ille glossam appinxit: „*melius aptiusque.*"

operis majoris de Providentia, ut adstruere conatus sum *Praef. p.* 15—18.

redderetur, i. e. *ederetur*, *exhiberetur*. Ita dicunt *rationem*, *causam reddere*, et Horat. *Od.* IV. 6. *vs.* 43: *reddere carmen*, *ib.* 11. *vs.* 35: *reddere modos.*

cum — probaremus. Modus, quo haec enuntiantur, tum mox insequentia: „Manente lite integra," et (§. 4.) „suo ista tempori reserventur:" haec igitur eam opinionem confirmare videntur, hic non, ut Ruhk. putabat, elaboratum jam, sed potius futurum quoddam opus in animo Senecae fuisse.

universis, τοῖς ὅλοις, i. e. *mundo universo.* Notat Lips. hac in re Stoicos ab Aristotele dissensisse, quippe qui gubernationem Divinam intra lunae orbitam coërceret. Idem visum est Moshemio *ad Cudw. Syst. Int.* I. 8. *p.* 87. Diversam tamen ex ipsius scriptis doctrinam effecit *Cl.* van Limburg Brouwer *Disput. Stolp. de Provid. p.* 87, ubi et hunc locum excitat ex opere *de Coelo* II, 1: „τῶν ὅλων τάξις ὑπὸ Θεοῦ καὶ διὰ Θεὸν φυλαττομένη."

Providentiam. Quod Ciceronis aetate Stoicis objiciebant, ab iis „Providentiam fingi quasi quandam deam singularem, quae mundum omnem gubernet et regat" (*de Nat. D.* II. 29), ejus cavillationis materia neque in Seneca defuisset, qui et *Nat. Q.* V. 18. §. 1: „Inter cetera itaque Providentiae opera hoc quoque aliquis, ut dignum admiratione, suspexerit," et §. 4: „Nimirum in hoc Providentia ac dispositor ille mundi Deus aëra ventis exercendum dedit." Nempe Deum ac Providentiam unum idemque statuebat. *Ib.* II, 45: „eundem, quem nos, Jovem intelligunt, custodem rectoremque universi — — — cui nomen omne convenit. ——— Vis illum Providentiam dicere? recte dices. Est

enim, cujus consilio huic mundo providetur, ut inoffensus eat, et actus suos explicet."

interesse. Proprium verbum. Nota sunt Horatii *A. P.* 192:

„Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit."

Senecam his verbis non idem, quod antecedentibus, sed illam expressisse puto Providentiae curam, quae ad singulos et omnes pertingeret. De qua multa cum Stoicorum, tum aliorum philosophorum veterum egregia dicta congessit Gatak. *ad* M. Ant. II. 11. Unum ex iis afferamus, quippe quod Senecae fautoribus ejus excusandi necessitatem imposuit. Locus est *Epist.* XCV, 49, 50: „Primus est Deorum cultus, Deos credere: deinde, reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire, illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, *interdum curiosi singulorum.*" Haec postrema verba Rubk. excidisse Nostro nollet: Lipsius (*Phys. Stoic. p.* 44.) aliquid eum vacillasse fatetur. Sed ut concedamus ejusmodi sententiae varietatem et inconstantiam cadere in libros ab eodem auctore, sed aliquo temporis intervallo conscriptos: qui quaeso fieri potuit, ut Seneca in una epistola modo talia scriberet: „Non quaerit ministros Deus: quidni? ipse humano generi ministrat; ubique et omnibus praesto est:" modo, paucissimis interjectis, *nonnunquam* tantum singulis prospicere Deos affirmaret? Amplectamur igitur Gatakeri interpretationem, *interdum* h. l. idem valere, quod *interim*, quae vis illius particulae frequens Apulejo. Ita sensus erit: Dii nullum laborem sentientes, facile generis humani universi tutelam cum singulorum cura conjungnnt. — Locis a Gatakero allatis addamus unum e Minucii Felicis *Octavio p.* 317. *sq.* „Sed enim Deus actum hominis ignorat; et in coelo constitutus, non potest aut omnes obire aut singulos nosse. Erras ô homo! et falleris. Unde enim Deus longe est, cum omnia coelestia, terrenaque, et quae extra istam orbis provinciam sunt, Deo cognita plenaque sint? ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende: coelo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter praesens ubique interest, et miscetur omnibus:

bus: nusquam enim claritudo violatur: quanto magis Deus auctor omnium, ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest; interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus."

a toto. Lips. *annotat. ms.* „ a materia universa de Providentia."

causam Deorum agam, i. e. *Deos defendam*, *velut in judicio.* Pertinet ad eandem imaginem vox *contradictio.* Similiter Epict. ap. Arr. II, 16. *p.* 263. *ed. Upt.* sapientem haec Deo dicentem facit: „ ἄρχειν με θέλεις, ἰδιωτεύειν, μένειν, φεύγειν, πένεσθαι, πλουτεῖν, ἐγὼ σοι, ὑπὲρ ἁπάντων τούτων πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ἀπολογήσομαι." Ita quoque fortuna Boëtium interrogat *Consol.* II. *p.* 26: „ quid tu, ô homo, ream me quotidianis agis querelis?" Et recentiores nonnulli libris suis, quibus Dei bonitatem a dubiis vindicarent, *theodicees* praeposuere nomen, ut Leibnitius.

Deorum. Quaeritur, an Seneca plures esse Deos ipse vere senserit. Vulgo enim ita existimant praestantissimum quemque philosophorum veterum, invidiae detestandae causa, populi opinioni pepercisse. Creditur hoc Socrates fecisse, creditur Cicero, creduntur alii. Vid. *Doct.* Brand *quaest. in Socratis sententiam de Deo* (*L. B.* 1820.) *p.* 3, 4. Verum Senecae quae causa fuerit, non video, cur in epistolis, ad Lucilium familiarem missis, nisi forte scripserit cum edendi consilio, dissimularet animi sententiam. Cum igitur in his quoque crebra Deorum fiat mentio, velut *Epist.* XCV, 36, 48. CX, 1. CXVII. 5, 19. mihi quidem admodum probabile videtur, cum, ut reliquos Stoicos, tum sideribus divinitatem tribuisse, tum alios quosdam statuisse δαίμονας, summi Dei ministros, qui et nati essent, et aliquando interituri. Ac de sideribus quidem nota res e Senecae locis, quae attuli *Praef. p.* 2. quibus accedit Onati Pythagorei fragm. ap. Stob. *Ecl. phys. p.* 5. *ed. Gesn.* „ οἱ Στωικοὶ νοερὸν Θεὸν ἀποφαινόνται πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου· —— Θεοὺς δὲ καὶ τὸν κοσμὸν, καὶ τοὺς ἀστέρας, καὶ τὴν γῆν, ἀνωτάτω δὲ πάντων, νοῦν ἐναιθέριον εἶναι Θεόν." De geniis autem vid. Plutarchi et Lactantii *loca laud.* *Cl.* Wytt. *Disput. Stolp. de Un. Dei* p.

p. 399, 405. *sq.* Cf. Cudw. *Syst. Intell.* I. p. 646–653, ibique Mosh.

2 *Supervacuum est*, cet. Universum hunc locum imitatus est Boët. *Consol.* I. *p.* 20: „Tum illa, hunccine, inquit, mundum temerariis agi fortuitisque casibus putas, an ullum credis ei regimen inesse rationis? atqui, inquam, nullo existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi suo conditorem praesidere Deum scio; nec unquam fuerit dies, qui me ab hac sententiae veritate depellat. Ita est, inquit. Nam id etiam paulo ante cecinisti, hominesque tantum divinae exsortes curae esse deplorasti. Nam de ceteris, quin ratione regerentur, nihil movebare." Seneca quanto naturae contemplandae studio teneretur, apparet e *Nat. Quaest.* observavitque Ruhk. in *praef.* ad eos libros *p.* X. Non potuit igitur eum effugere vis evidentissimi argumenti, quo tam saepe tamque praeclare usi philosophi. Cleanthes quidem cum quatuor de causis diceret in animis hominum informatas esse Deorum notiones, quartam posuit hanc „eamque vel maximam, aequabilitatem motus, conversionem coeli; solis, lunae, siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulcritudinem, ordinem: quarum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut siquis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit: cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari." Ubi lectio *mentita sit* retineri posse mihi videtur, hoc sensu, *offenderit, a solita lege deflexerit.* Similiter fere Cicero, e cujus op. *de Nat. D.* II, 5. haec allata sunt, *ib.* III, 6: „cum isti plurimis de rebus divini mentiantur:" et Horat. *Carm.* III, 1. *vs.* 30: „Fundusque mendax." Neque negligenda ipsius Ciceronis verba *l. l.* II, 35, ubi memoratis Accii versibus de pastore, qui navem Argo conspexisset, „Ergo," inquit, „ut hic primo adspectu inanimum quiddam, sensu vacuum, se putat cernere; post autem signis certio-

tioribus, quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari: sic philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat, postea cum vidissent motus ejus finitos, aequabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac Divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem, et tanquam architectum tanti operis tantique muneris." Aristotelis quoque praeclara sententia proditur *ib. c.* 37. Item Sallustius *de Diis et mundo c.* 9: „ πόθεν γὰρ ἡ τάξις τοῦ κόσμου, εἰ μηδὲν ἦν τὸ τάττον;" ad quem locum Holstenius instar omnium laudat Proclum *Theol. Plat.* I, 15. Longius etiam progressus Socrates, non Providentiam tantum, sed ejus in animalia benevolentiam e mundo elucescere docuit. Xen. *Memor.* I. 4. §. 7: „ πάνυ ἔοικε ταῦτα σοφοῦ τινὸς δημιουργοῦ καὶ φιλοζώου τεχνήματι."

praesentia. Lipsio et Ruhkopfio visus est ablativus. Mihi magis placet eorum sententia, qui comparantes alteram locutionem *in praesens tempus*, accusativum esse putant. Neque in Gronovii edit. signum ablativi apparet.

opus. Elegans hac in re verbum. Ita *de Benef.* IV, 23. §. 3: „ Adspice ista tacito succentu labentia, quemadmodum velocitatem suam sub specie stantis atque immoti operis abscondant." Translatum videtur ab aedificio (*Epist.* XCI, 2), cui *custos* imponitur. *Nat. Q.* I. Praef. 2: „ cum disco, quae universi materia sit, quis auctor aut custos."

certum eodem sensu dicitur, quo Aristot. ap. Cic. loco modo cit. memoraverat siderum „ in omni aeternitate ratos, immutabilesque cursus." Ipse Cic. *c.* 38: „ Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?"

dicursum equabus tribuit *Cons. ad Marc.* I, 7, §. 1, formicis *Nat. Q.* I. *Praef.* 8. De stellis consuetius est *cursus*, ut *ib.* §. 10. Cic. *l. l.* II, 40: „ in quo, cum admirabilitate maxima, igneae formae cursus ordinatos definiunt." *Ib.* III, 9: „ quarum te cursus aequabiles, aeternique delectabant: nec mehercule injuria. Sunt enim

enim admirabili incredibilique constantia. Sed non omnia, Balbe, quae cursus certos et constantes habent, ea Deo potius tribuenda sunt, quam natura." Poëtica vox *recursus* ap. B o ë t. I., *p.* 4. *fort. imp. esse*, i. e. *ex fortuito impetu initium habere*. L i p s i u s hic tangi monet Epicureos, haec afferens M a n i l i i I, 491—494:

„Mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum: nec forte coïsse magistra,
Ut voluit credi, qui primus moenia mundi
Seminibus struxit minimis inque illa resolvit."

Testatur idem S t o b. *Ecl. phys. p.* 47: „Ἄλλοι πάντες ἔμψυχον τὸν κόσμον, προνοίᾳ διοικούμενον, Λεύκιππος δὲ καὶ Δημόκριτος, Ἐπίκουρος οὐδέτερα τούτων, φύσει δὲ ἀλόγῳ ἐκ τῶν ἀτόμων συνεστῶτα."

esse, *et.* Hanc interpunctionem servari. Si tamen nunc mihi integrum foret, mallem sensum apertiorem reddidisse sic interpungendo: „esse: et quae casus mutat, saepe turbari et cito arietare; hanc inoffensam — — ex dispositione lucentium: non esse materiae errantis hunc ordinem: neque," cet. Quam enim rem primum certo siderum discursu demonstravit auctor, eam deinde confirmat comparando ea, qua casus incitat, cum inoffensa mundi velocitate: tum breviter antecedentia reperit his verbis: „non esse materiae errantis hunc ordinem;" denique et alia adjicit, terrae situm, maria, res generatas.

incitat, i. e. *movet*, κινεῖ. Loqui voluit exquisitius.

arietare. Duplicem hujus verbi derivationem proposui *Not. crit. ad h. l.* Nunc mihi priorem illam, licet dissentiente Viro eximio V o s s i o *Etym. V. aries*, probabiliorem efficiunt ea loca, quibus arietare dicitur non res, quae movetur, in stantem impingens, sed duo in motu inter se collidentia, veluti *de Ira* II, 3: „antequam inter se acies arietarent;" quod utique melius cum arietum taurorumve pugna, quam cum arietis bellici usu convenit. Idem pingunt V i r g i l i i versus, quos attulit Amicus meus *Doct.* H i r s c h i g *in* S e n. *de Tranq. an. p.* 93.

hanc inoff. cet. Brevius dictum pro *hanc velocitatem, cum inoffensa procedat, evidenter aeternae legis imperio procedere.* Increcre-

credibili velocitate veteres mundum ferri arbitrabantur. Vid. *de Benef.* VI, 22. *Epist.* CX, 8. Cic. *Somn. Scip.* 3. de stellis: „quae sidera et stellas vocatis, quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili."

inoffensum. Sic *Herc. fur.* 928:

„astra inoffensos agant
Aeterna cursus."

Et horum locorum comparatio suasit, ut in iis, quae supra (p. 4) attuli e *Nat. Quaest.* II. ubi Schottus et Lipsius *inconcussus*, Ruhkopfius *inconfusus* edidit, legere mallem *inoffensus*, quae lectio non destituitur auctoritate codicum; habet enim Opsopaei *ms.* „inoffensus exeat."

aet. leg. imp. Nisi Lipsium (*Physiol. Stoic. p.* 29.) memoria fefellerit, ipsissimis verbis usus est Cicero fatum intelligens, de quo Sen. etiam infra V, 4: „omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere."

gestantem. Quaerit Lipsius, „Quomodo cursus aut velocitas illa res gestat?" et respondet: „puto quia includit." Et hoc meo quidem sensu bene; sed nollem adjecisset: „et siderum coelorumque motu fata dispensantur." Neque enim hac de re nunc videtur Seneca cogitasse, sed *velocitatem* posuisse pro *mundum velocissime motum:* includit autem sive gestat mundus omnia. Simili figura Prop. I, 17. *vs.* 11:

„An poteris siccis mea fata reponere ocellis?"

mea fata pro *me fato oppressum, mortuum.*

ex disp. lucentium. Haec Gronovius *ad l.* III. *de Ira c.*6. S. 1. comparat cum illis, quae ibi leguntur: „pars superior mundi et ordinatior," item cum *Epist.* c. II, 22: „ubi disposita tot numina in actus suos excubant." Similiter *Consol. ad Marc.* XXVI, 6: „quidquid nunc ex disposito lucet." Senecae placuisse praepositionem *ex*, observavit Doct. Hirschig *l. l. p.* 94.

non esse — ordinem, i. e. *materia si erraret ac temere vagaretur, non hunc ordinem in rerum natura conspicuum fore.* Sic Cic. *de Nat. D.* II, 1: „neque enim flumine conturbor inanium verborum," i. e. *si verba inania sint.*

 ne-

neque — pendere. Sensus est: *neque temere coiisse, quae tanta arte pendeant:* sed ornandi studio structuram invertit. *Tanta arte* i. e. *tam apta ratione, consilium auctoris et solertiam testante,* — *pendere* referendum videtur ad aequilibrium, quo coelum, tellus ac maria suspensa teneantur; de quo Cic. *Tusc.* V, 24: „an de terra, et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur.“ Manilius I, 194—196:

„Nec vero tibi natura admiranda videri
Pendentis terrae debet, cum pendeat ipse
Mundus, et in nullo ponat vestigia fundo.“

Plin. *H. N.* II. 5: „terram pendentem, librantem, per quae pendeat.“ Videtur autem in ultima periodi parte Seneca, ubi de seminibus agit, illius verbi oblitus ita scripsisse, quasi *constituta esse* vel simile quid antecessisset.

ut terrarum — spectet. Apollinem aperientem facit Stat. *Theb.* VI, 363. *sqq.*

„imane tellus,
An media, et rursus mundo succincta labenti.“

Stoicis hanc placuisse sententiam docet Cic. *de Nat. D.* II, 361: Principio enim terra sita in media parte mundi, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aër.“ *Ib.* 39: „Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata.“ Vid. etiam *Doct.* Martini *de Corn. p.* 70. Veterum opiniones de telluris situ peculiari disputatione persecutus est *Doct.* Low.

sedeat immotum. *Amic.* Suringarius eandem dictionem inveniri monuit in Virg. *Aen.* IV, 15:

„Si mihi non animo fixum immotumque sederet.“

vallibus, Vid. *Not. crit. ad h. l.*

molliant terras. Ruhk. intelligit de oceano suam aquam cum continente atque insulis communicante, iisque sic fertilitatem afferente. Sed non videtur cogitasse *Vir Clar.* egregie ceteroquin de Seneca meritus, aquam marinam nullis cum terrae partibus communicari, nisi cum litoribus, quae quidem alluendo madefacta *molliri* dici possunt (ut *Nilo molliti agri* ap. Cic. *de Nat. D.* II, 52),

fer-

fertilia vero si redderentur, nunquam profecto veteribus adeo trita locutio fuisset, qua inutiliter laborantem *arare litora* dicebant. Data occasione paucis attingamus locum ex eodem *l. de Nat. D. c.* 39: „Ipsum autem mare sic terram appetens litoribus alludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur." Ita Davisius. Ernestius pro *alludit*, in mss. fere legi testatur *eludit*, idque edidit, magis tamen sibi placere *cludit*. Verum ut mare cludit, ambit litora, litora terram, ita vix credo dici posse *mare litoribus cludere terram*. Unice vera mihi videtur lectio *alludit*, eamque refinxisse librarii ad locum similem *Top.* 7: „quid esset litus, ita definire: *qua fluctus eluderet*." Utraque dicendi translata ab undae venientis, arenam lambentis ac statim recedentis similitudine cum ludentis specie. Vid. Interpr. ad Min. Fel. *p.* 21.

nec ullam — sentiant. Simillime *Nat. Q.* III, 4. „Miramur, quod accessionem fluminum maria non sentiant. Aeque mirandum est, quod detrimenta exeuntium terra non sentit." Utrumque qua causa fiat, e quorundam judicio exponit. *c. sq.* „Quidam judicant, terram, quidquid aquarum emisit, rursus accipere, et ob hoc maria non crescere, quia quod influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt." Consentit Plin. *H. N.* II, 66. allatus a Lipsio. Fatali diluvii tempore primum mare fluminum accessu augebitur. Sen. *l. l. c.* 27. §. 10.

ex — ingentia. Cicero (*de Nat. D.* II, 32): *Seminis enim vim esse tantam, ut id, quamquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat et efficiat in suo quidque genere.* Utitur eodem argumento ad ostendendam Providentiam et Simplicius in Epictetum." Haec Muretus *ad h. l.* Videmus autem Senecam sanam rationem sequi maluisse, quam Stoicorum nugas, refutatas a Plut. *Adv. Stoic. c.* XXXV. *p.* 253.

3 *Ne illa quidem* cet. Potest huc adhiberi *Epist.* CXVII, 19, ubi utile dicit esse quaerere: „an et haec, quae fortuita dicuntur, certa lege constricta sint, nihilque in hoc mundo repentinum, nec expers ordinis volutetur."

elisorum. Ita Plin. *H. N.* XXXI, 1: „quae causa fulmina elidit, i. e. efficit e nubibus ignem excutiens. Singulari plane exemplo

 ful-

fulmen ipsum nubes elidere, dicitur ap. Stat. *Theb.* V, 394:

„Ut vero elisit nubes Jove tortus ab alto
Ignis."

quem mihi locum indicavit *Am.* Suring.

tumultuosa — moven. Fortasse cogitavit Platonicam animi distributionem, ut esset una pars rationalis, altera ἐπιθυμητικὴ, tertia, quam appellat *Epist.* XCII, 7: „animosam, ambitiosam, impotentem, positam in affectionibus." Huic igitur simile quid, suspicor, in rerum natura esse credidit, eamque causam esse turbarum, quas maxime locis terrae vicinis excitari scribit etiam *Nat. Q.* I. *Praef.* 13: „cum interim tantus error mortalia teneat, ut hoc, quo neque formosius est quidquam, nec dispositius, nec in proposito constantius, existiment homines fortuitum et casu volubile, ideoque tumultuosum inter fulmina, nubes, tempestates, et cetera, quibus terrae ac terris vicina pulsantur." Lips. *ad h. l.* „Nam supra quies et constantia, et *Pacem summa tenent.*" Pertinent huc quae dicit *Epist.* LIX, 17: „Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Semper illic serenum est."

sine ratione, i. e. *nullo moderantis consilio*, *casu*, *temere.* Sic Cic. *de Nat. D.* II, 38: „An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta; non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam Divinaque ratione?" Min. *F.* *p.* 131. de anni tempestatibus: „qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret."

sed melius omitti, confirmant etiam illa *de Ira* II, 27. §. 3: „Non enim nos causa mundo sumus, hiemem aestatemque referendi; suas ista leges habent, quibus divina exercentur." Agit hac de re Steph. *Prood. p.* 108. sqq.

suas — habent, Nonnullarum ex his causas explicat in *Nat. Quaest.* ut terrae motus *l.* VI.

miraculo, i. e. *admirationi*. Praeter exempla in lexicis obvia legitur etiam, ut me monuit *Amic.* Bergm. in Liv. *Fragm.* editis

tis a *Cl.* Niebuhrio XCI. *p.* 91: „ [nocte] tamen insequenti, ipso pervigilante, in eodem loco alia excitata turris, prima luce miraculo hostibus fuit."

in mediis — aquae. Laudant Interpr. Plinii locum *H. N.* XXXI, 2: „ Vaporant et in mari ipso calentes aquae, quae Licinii Crassi fuerunt, mediosque inter fluctus exsistit aliquid valetudini salutare." Qui scriptor haud dubie Nostrum legit. Lipsius item haec affert Philonis Judaei *de Somniis.* „ *Εἰσι γὰρ μυρίαι πολλαχόθεν πηγαι ὕδωρ ζῶον ἐκδιδοῦσαι, οὐ κατὰ γῆν, ἄλλα καὶ κατὰ θαλασσαν. Ἤδη γοῦν ἐφάνησαν φλέβες ἀνομβροῦσαι, ἐν μέσοις πελάγεσιν, ἃς ἡ τοσαύτη τῶν ἐν κύκλῳ πελαγῶν ἀνάχυσις ἐξ αἰῶνος ἐπικλύζουσα, οὐκ ἴσχυσε σβέσαι, ἀλλ' οὐδ ἐπὶ ποσὸν ανεῖναι.*" Videdetur idem prodigium commemorari *de Ben.* VI, 20. v. 4. „ de cavernis maris ignium eruptio."

spatia. Referri videtur ad illarum insularum magnitudinem, ut *Nat. Q.* VI, 21. §. 1: „ flatus: qui potest dissipare magna spatia terrarum." *Hippol.* 806: „ Et vasti spatio vincere corporis." De re, laudant Interpr. Livium XXXIX, *extr.* Plin. *H. N.* II, 86, 87. Sen. *Nat. Q.* VI, 21. §. 2. Addi possunt, quae in eodem *Nat. Q.* opere II, 26, §. 3, 4. auctore Posidonio traduntur, ad quem locum adhibendus est optimi Praeceptoris, Viri *Cl.* Bakii *Posidonius p.* 82, quodque ibi annotavit *Cl.* Wytt. Similiter in Australi Oceano novam insulam exortam esse refert O. van Kotzebue in libro, qui Belgice redditus inscribitur *Ontdekkingsreis in de Zuidzee*, II, 273. *sq.* Ab hoc insularum genere diversae videntur illae, de quibus Noster *Nat. Q.* III, 25. §. 6–8.

4 *Jam vero* cet. Transit ad aliud exemplum rei, quae caeca videtur et fortuita, ut et hanc e certa quadam causa repetendam esse doceat.

credat. Quippe causam ignorat; ut enim est ap. Boët. *Cons.* IV. *p.* 116:

„ Siquis Arcturi," cet.

Cujus odarii pars extrema in edit. Glasguensi perperam interpuncta, sic meo judicio legenda est:

„ Heic enim causas cernere promtum est,
Illic latentes: — pectora turbant
Cuncta, quae rara provehit aetas,

Stupetque subitis mobile vulgus.
Cedat inscitiae nubilus error;
Cessent profecto mira videri."

caeca. Absurda est editionis Lovan. supra memoratae lectio *certa.* Mox duorum Codicum Leidensium lectionem *cum interim illae* confirmare videtur locus, quem paulo ante laudavi, *Nat. Q.* I. *Praef.* 13: „ cum interim tantus error mortalia teneat."

portionibus nempe *certis ac definitis*, ut pro variis mensium annique temporibus modo plus, modo minus aquae in litora adscendat. *Nat. Q.* III, 28. §. 6. de aestu maris: „ Ad mensuram enim crescit iterumque decrescit."

ad horam ac diem. Lips. *ann. ms.* „ Statis horis diebusque."

subeunt, scil. *in terram*, quo sensu dicitur aqua subire altitudinem exortus sui ap. Plin. *H. N.* XXXI, 3.

arbitrium ad divinam siderum naturam referendum puto. — Res jam veteribus observata. Cic. *de Div.* II, 14: „ Quid de fretis, aut de marinis aestibus plura dicam? Quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur."

non dubitas — quereris. Eleganter distinguit. Ita Deum agnoscens, per querelam tamen exquirit chorus in *Hippol.* 971. *sqq.*

„ sed cur idem
Qui tanta regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus abes; non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?"

Sunt in eandem sententiam pulchri Boëtii versus *Cons.* I. *p.* 16.

„ Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus
Merito rector cohibere modo;
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices? premit insonteis
Debita sceleri noxia poena:
At perversi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes."

Jam

Jam prisca illa aetate Theognis idem indignatus est *vs.* 721. *sqq.* *Brunck.*

„ Καὶ τοῦτ', ἀθανάτων βασιλεῦ, πῶς ἐστι δίκαιον;
ἔργων ὅστις ἀνὴρ ἐκτὸς ἔοι ἀδίκων,
μήτιν' ὑπερβασίην κατέχων, μήθ' ὅρκον ἀλιτρὸν,
ἀλλὰ δίκαιος ἔοι, μὴ τὰ δίκαια παθεῖν;
τίς δὴ καὶ βροτὸς ἄλλος, ὁρῶν πρὸς τοῦτον, ἔπειτα
ἅζοιτ' ἀθανάτους, καὶ τίνα θυμὸν ἔχοι,
ὁππότ' ἀνὴρ ἄδικος, καὶ ἀτάσθαλος, οὔτε τι ἀνδρὸς,
οὔτε τι ἀθανάτων μῆνιν ἀλευάμενος,
ὑβρίζει πλούτῳ κεκορημένος· οἱ δὲ δίκαιοι
τρύχονται, χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ."

Et Pompejus ad Cratippum philosophum „ ἐμέμψατο καὶ συνδιεπέπρασε βράχεα περὶ τῆς προνοίας," ut refert in ejus vita Plut. *c.* LXXV. *p.* 155. — Idem argumentum ad probandum, Deos rebus humanis non consulere, copiose atque ornate explicat ap. Cic. *de Nat. D.* III, 32—38 Cotta Academicus. E cujus disputatione videmus antiquos Stoicos adversus hanc dubitationem admodum levibus usos esse rationibus. Dicebant enim: „ minora Dii negligunt, non animadvertunt omnia; sed hoc ne reges quidem." Quanto melius, ut multa, sic haecce quaestio tractata est ab ejusdem sectae, qui postea fuere, philosophis Epicteto, Seneca, Antonino, non calamitates bonorum a Deo negligi, sed cum ipsorum utilitatis, tum omnium causa immitti docentibus.

5 *adversus* in bonam partem etiam a Cicerone ponitur *de Nat. D.* I, 2, 41. Non igitur ab Erasmo in *Praefat.* ponendum fuerat inter voces a Seneca „ velut in hoc affectatas, ut dissimilis sit Ciceroni." Addit Erasmus: „ quamquam hoc illi cum Quinctiliano Pliniisque commune." De Juniore quidem Plinio contrarium docet Ruhnk. *Praef. Op. Mur.* (*Opusc. p.* 680): „ *Plinius Caecilianus*, ut hoc utar, et doctrina abundavit, et lingua Latina adhuc satis integra scripsit, et, ut ipse fatetur, nihil aliud, quam *Ciceronem* imitando effinxit." Verum ita duo Viri eruditissimi conciliari possunt, si dicamus alterum, quid Plinius ipse professus sit, animadvertisse, alterum e dicendi genere, quod in scriptis appareret, de scriptoris voluntate consilioque conjecturam fecisse.

Ne-

Neque — noceant. Jam Homericus ille Jupiter hujusmodi ἔπι' ἀθανάτοισι μετηύδα·

„ Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν."

Quae verba postquam attulit Hierocles *Fragm.* *p.* 680. (*Londini* 1673), ita pergit: „ ἐπειτοι γε ὡς ὁ θεὸς οὐδαμῆ οὐδαμῶς κακῶν αἴτιος ἐστιν, ἐκ πολλῶν νοήσειέ τις· πρὸς δὲ τὸ παρὸν, ἀποχρήσειεν ἂν ὁ Πλάτωνος ἐκεῖνος λόγος· οὐ γὰρ θερμοῦ, φησι, τὸ ψύχειν, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου, οὐδὲ ψυχροῦ τὸ θερμαίνειν, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου. οὕτως οὖν οὐδὲ ἀγαθοποιοῦ τὸ κακοποιεῖν, ἀλλὰ τοὐναντίον." Alia Platonis loca indicavit *Cl.* van Limburg Brouwer *Disput. Stolp. quid veteres de Providentia docuerint p.* 60. *not.* 10. Timaeus quoque Locrus Diis mundi condendi causam fuisse bonitatem censuit, ut auctor est Plut. *de Fato p.* 58. Idem in libro *de Stoic. repugn. p.* 94. praeclara quaedam servavit ex Antipatri Tarsensis opere *de Diis*: „ Θεὸν τοίνυν νοοῦμεν ζῶον μακάριον καὶ ἄφθαρτον, καὶ εὐποιητικὸν ἀνθρώπων." Ciceronis aetate pervulgata fuisse videtur ea sententia; sic enim dicit *de Off.* II, 3. „ Sed quia Deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obesse plurimum arbitrantur." Cf. III, 28. Atque ita pervenimus ad Senecam nostrum, qui multis locis idem pulcherrime docuit. E quibus unum nunc memorasse suffecerit, *Epist.* XCV, 48, 49: „ Quae causa est Diis benefaciendi? natura. Errat, siquis putat, illos nocere velle; non possunt. Nec accipere injuriam queunt, nec facere. Laedere etenim laedique conjunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit." Plane consentit Antoninus VI, 1, ubi agit de ratione mundum omnem administrante: „ οὐδεμίαν ἐν ἑαυτῷ αἰτίαν ἔχει τοῦ κακοποιεῖν. κακίαν γὰρ οὐκ ἔχει, οὐδὲ τι κακῶς ποιεῖ, οὐδὲ βλάπτεταί τι ὑπ' ἐκείνου. — Lips. *Phys. Stoic. p.* 23. huc Cleanthis quoque retulit versus nobiles:

„ Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ' οἷον ἔστ', ἄκουε δή.
Τεταγμένον, δίκαιον, ὅσιον, εὐσεβές," cet.

Servavit eos Clemens Alexandr. *Protrept.* VI. *p.* 61, *Strom.* V. *p.* 715, qui et ipse de Deo intellexit. Verum epitheton εὐσε-

βὲς

bis cum parum Deo conveniat, credo equidem his versibus potius summum bonum describi, quale cadat in homines, quod Seneca passim appellat *bonam mentem*.

Inter bonos cet. Ita sententia progreditur: *tantum abest, ut bonis viris bonus Deus noceat, ut eos potius amicitia complectatur.* Deum autem illum supremum intelligi, sponte patet. De quo quidem observasse mihi videor, in *Nat. Quaest.* opere, quod postremum Seneca scripsisse creditur, *Deos* aut vix aut nunquam commemorari, semper *Deum*.

amicitia est. Sic ap. Arr. *Comm. Epict.* II, 16. *p.* 264. Hercules dicitur neminem amiciorem habuisse Deo. *Ib. c. sq. p.* 272. Epictetus juvenem sibi dari cupit, qui dicat: „Ὅτι ἐμοὶ τὰ μὲν ἄλλα πάντα χαιρέτω, ἀρκεῖ δ' εἰ ἐξέσται ποτὲ ἀπαραποδίστως, καὶ ἀλύπως διαγαγεῖν, καὶ ἀνατεῖναι τὸν τράχηλον πρὸς τὰ πράγματα ὡς ἐλεύθερον, καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπειν ὡς φίλον τοῦ Θεοῦ μηδὲν φοβούμενον τῶν συμβῆναι δυναμένων."

conciliante. Verbum eodem usu ex probabili Virorum Doctorum emendatione legitur ap. Cic. *de Leg.* I, 7: „lege quoque conciliati homines cum Diis putandi sumus," ubi prius legebatur *consociati*.

necessitudo. Majus est, quam amicitia. De necessitudine parentum erga liberos, patronorum erga clientes, proconsulum erga quaestores suos, vel puerili institutione didicimus. Talem necessitudinem et cognationem Socrati cum Diis intercedere dicebat Epictetus ap. Arr. I, 9. *p.* 57. Praeclarus item locus antecesserat *p.* 53. *sqq.* Oportebat, inquit, ingenuos adolescentes, divina sua stirpe cognita, corporis tanquam oneris abjiciendi amore teneri proficiscendique ad Deos cognatos. Ita philosopho non essent ab humilibus cogitationibus abducendi, sed patriae coelestis, quo nimis efferrentur, desiderium intra suos fines revocandum esset.

similitudo. Cic. *de Leg.* I, 8: „Jam vero virtus eadem in homine ac Deo est, neque ullo alio ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. Est igitur homini cum Deo similitudo. Quod cum ita sit, quae tandem esse potest propior certiorve cognatio?"

quoniam quidem. Hanc dictionem exemplo fortasse apud alium scrip-

 to-

torem carere putabat Steph. *Prooem.* p. 262. Solino tamen familiaris est, in ejusque codd. saepe confusa cum *quandoquidem*, ut monuit Frieseman *Collect. crit.* p. 121. laudato Salmasio *in Sol. Epist.* 2.

tempore — differt, quippe terminis hujus vitae inclusus, cum Deus et ante fuerit, et immortalis sit. Ita *de Const. sap.* VIII, 2: „ sapiens autem vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo," ubi similem Ciceronis locum aliaque Senecae affert Lips. Ita quoque *Epist.* LXXIII, 12: „ Jupiter qua antecedit virum bonum? diutius bonus est." Neque tantum sapienti suo tam magnifica Stoici tribuebant, sed etiam iis, quos populariter bonos viros appellabant, siquidem apparet, in hoc libello de posteriori tantum genere sermonem esse. Cf. quae dixi ad I, 1. *bonis viris.* Fontem hujus magniloquentiae Lipsius indicat (*Manud.* p. 178) in eo positum, quod Stoicorum sententia virtus sapientem eademque Deum efficeret. Merito tamen idem ad h. l. „ Alta, imo superba, talia Stoici," uti quoque Muretus: „ Itaque dicebant, hominem esse mortalem deum; deum vero hominem immortalem. Sed hoc multo, quam par est, audacius ac superbius dictum est."

discipulus ejus. Lips. „ Vera iterum et Christiana." Eadem est comparatio infra II, 9. IV, 10.

aemulatorque. Tendit enim ad ὁμοίωσιν Θεῷ, quem finem proposuerat Pythagoras. Eandem e Platone sententiam collegit *Cl.* Wytt. *Anim. in Plut. de Sera Num. Vind.* p. 28, 29. Plutarchus ipse praeclare p. 15. „ οὐ γάρ ἐστιν ὅ, τι μεῖζον ἄνθρωπος ἀπολαύειν θεοῦ πέφυκεν, ἢ τὸ μιμήσει καὶ διώξει τῶν ἐν ἐκείνῳ καλῶν καὶ ἀγαθῶν εἰς ἀρετὴν καθίστασθαι." — Memorat item *Ep.* LIX, 18. „ Deos Deorumque aemulos."

vera prog. i. e. *qui vere dici possit Dei progenies.* Ita de Diogene legimus ap. Arr. IV, 1. p. 571: „ τοὺς γ' ἀληθινοὺς προγόνους τοὺς Θεοὺς, καὶ τὴν τῷ ὄντι πατρίδα οὐδέποτ' ἂν ἐγκατέλειπεν." Dupliciter autem hac de re scripserunt, ut alii philosophi bonis solum, alii cunctis hominibus Deum parentem assignarent. Horum fuit Sthenidas, memoratus a *Cl.* Brouwero *l. l.* p. 34, qui Deum idcirco Deorum hominumque patrem habitum esse judicabat,

quod

quod lenis esset in omnia sibi subjecta, quod licet neglectus nunquam ea negligeret, neque creasse contentus, altor, pulchrarum rerum omnium magister et legislator omnibus similiter exstitisset. Pertinet eodem egregius ille locus Arriani I, 3. *p.* 19, 20: „Εἰ τις τῷ δόγματι τούτῳ συμπαθῆσαι κατ' ἀξίαν δύναιτο, ὅτι γεγόναμεν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πάντες προηγουμένως, καὶ ὁ Θεὸς πατήρ ἐστι τῶν τ' ἀνθρώπων καὶ τῶν θεῶν· οἶμαι ὅτι οὐδὲν ἀγεννὲς οὐδὲ ταπεινὸν ἐνθυμηθήσεται περὶ ἑαυτοῦ. Ἀλλ' ἂν μὲν Καῖσαρ εἰσποιήσηταί σε, οὐδείς σου τὴν ὀφρὺν βαστάσει· ἂν δὲ γνῷς ὅτι τοῦ Διὸς υἱὸς εἶ, οὐκ ἐπαρθήσῃ;" Tum Epicteti admonitio, servos etiam, quippe communi divina stirpe prognatos, fratrum loco a nobis haberi oportere. Sic igitur, ut refert Arr. *ib.* 13. *p.* 79, 80, alicui de servis conquerenti respondit: „Ἀνδράποδον, οὐκ ἀνέξῃ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ σαυτοῦ, ὃς ἔχει τὸν Δία πρόγονον, ὥσπερ υἱὸς ἐκ τῶν αὐτῶν σπερμάτων γέγονε, καὶ τῆς αὐτῆς ἄνωθεν καταβολῆς; Ἀλλ' εἰ ἔν τινι τοιαύτῃ χώρᾳ κατετετάγης ὑπερεχούσῃ, εὐθὺς τύραννον καταστήσεις σεαυτόν; οὐ μέμνησῃ τί εἶ, καὶ τίνων ἄρχεις; ὅτι συγγενῶν, ὅτι ἀδελφῶν φύσει, ὅτι τοῦ Διὸς ἀπογόνων;" Et *l.* III, 24. *c.* 484. de Deo dicit: „ὥσπερ ἦν ἄξιον τὸν κηδόμενον ἡμῶν καὶ πατρικῶς προϊστάμενον." De simili re disputans Seneca *Epist.* CX, 9: „Quidquid nobis bono futurum erat, Deus et parens noster in proximo posuit." Contra Hierocles *Comm. in Aur. carm. Pyth.* *p.* 281: „ἔστι γὰρ ὁ Θεὸς δημιουργὸς μὲν πάντων, τῶν δὲ ἀγαθῶν καὶ πατήρ." Quod placitum alias ita proposuere Pythagorei, solum sapientem esse θεοφιλῆ. Hier. *ib.* *p.* 25.

6 *acceptosque Diis.* Ita Graeci a verbo δέχομαι derivarunt adject. δεκτὸς, quod occurrit *Act. Apost.* X, 35.

escendere. Sic edere me voluisse, licet aberraverit manus, cuique notam crit. inspicienti patet. Viris Doctis ibi laudatis addi poterunt alii memorati a *Doct.* Borgers *Anim. in Cic. Parad.* *p.* 36. Hoc loco in edit. Lovan. legitur *conscendit*, itemque in *Senecae Floribus ab* Erasmo *excerptis.*

volupt. fluere. Facit hujus loci comparatio, ut assentiri nequeam Ernestio, qui in verbis Ciceronis „qua cum liquescimus, fluimusque mollitia," *Tusc.* II, 22, illud *mollitia* abesse malit. Neque enim pron. *qua* ad *moll.* sed potius ad antecedens *opinio* referendum videtur.

vernularum. Lips. „Quorum procacitas propria, atque etiam dicacitas. Inde *vernae procaces* Horatio; *vernaculorum dicta* Martiali; *vernilia dicta* et *vernilitas* Senecae aliisque. At illud Martialis appositum:

Urbanus tibi Caecili, videris,
Non es, crede mihi; quid ergo? verna es."

Haec Lipsius. In *Gruteri et Jureti notis* monetur, de vernis multa dedisse Dousam *Praecidan. ad Arbitrum.* Multa quoque Gatak. *ad M.* 1, 26. Mancipiorum *audacia* memoratur etiam *de Const. sap.* XI, 3.

tristiore, pro *severiori*, exquisitius.

liqueat. Amatum Senecae verbum: legitur etiam *c. sq.* §. 8.

in del. non habet, i. e. *ei non permittit in otio vivere atque in voluptatibus.* Eodem sensu Plautus *Menaechm.* 2, 10. virum uxori dicentem facit: „Nimium ego te habui delicatam." Hac voce *deliciae* Seneca pulcherrime utitur *de Ben.* IV, 5: „Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est; usque in delicias amamur." — Quod h. l. de Deo affirmat, idem Lucilio vovet *Epist.* XCVI, 3. „Neque Dii, neque Deae faciant, ut te fortuna in deliciis habeat." Convenit illud Attali, quod memorat *Epist.* LXVII, 15. De fortuna similiter Boët. II, 30: „dedisti ut opinor, verba fortunae, dum te illa demulcet, dum te, ut delicias suas fovet."

sibi illum praep. i. e. *laboribus eum et aerumnis exercet, ut possit aliquando dignus esse Dei convictor.* Sic ait *Epist.* CII, 29: „Quid tibi videbitur Divina lux, cum illam suo loco videris? Haec cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum esse testes ait, illis nos approbari, illis in futurum parari jubet, et aeternitatem proponere."

CAPUT II.

1 *Quare multa — eveniunt.* Sunt haec adversarii, de Provid. querentis. Ejusmodi quaestiones inveniuntur etiam infra IV, 8. V, 2, 7. VI, 1.

At — potest. Horum verborum interpretationi, quam in *Not. crit.* exhibui, consentire video Lipsium. Sic enim ille: „Quasi respondeat,

deat, Adversi aliquid fateor: nihil mali; et in eo tu erras." De particula *At* initio periodi posita vid. *Doct.* Hirschig *l. l. p.* 92. Cum hac sententia conferri potest Socratis dictum, quod memorat Plutarchus, Anytum et Melitum occidere se posse, damno afficere non posse: qui locus ap. Stob. *Ecl. eth. p.* 200. valde corruptus legitur.

Non misc. contr. Atqui bonum et malum contraria: ergo boni viri natura malum nullum admittit. Ita de *Const. Sap.* VIII, 1: „ Nihil injustum justitia pati potest, quia non coeunt contraria."

medicatorum. Lips. „ *Medicatum*, quod non est purum, mixtum redolet sapitque. Ita acidae aquae, sulphuratae, ferratae, tale genus omne, hoc nomine censentur." Vid. *de Ben.* IV, 5. *Nat. Quaest.* III, 20.

vertit, i. e. *immutat*, ut ap. Virg. *Aen.* I, 741:

„ quae te, genitor sententia vertit?"

in suum col. trahit. Priora *manet in statu* cum, ut in vulgus notum est, a certante desumta essent, Ruhkopfius hic quoque Senecam cogitasse putat de quatuor aurigarum Circensium factionibus colore distinctis. „ Qui quin omnia quamvis adversa adverterint; et ita convertere studuerint, ut suae factioni (colori) prodessent, quis est, qui dubitet?" Neque ego dubito, neque tamen, pace *Viri Cl.* dixerim, eam rem huc pertinere credo. Potius comparationem ductam suspicor a pigmento quodam, quod aquae aliive molli materiae inditum suum colorem cum ea communicet. Itaque locum sic intelligo: *quaecunque mala ipsi accidunt, ea vir bonus bona efficit:* quo sensu mox ait: *in bonum vertant.* Ita quoque sumsisse video Lipsium et *Doct.* Thieboutium *l. l. p.* 45. apte conferentem Arriani locum III, 20. *p.* 434. *sq.* ubi Epictetus hanc viri boni facultatem comparat cum aurea virga Mercurii, qua quae tangerentur, aurea fierent. Tractat idem *Enchir. c.* 18, 32. Contra malus omnia corrumpere dicitur *de Ben.* V, 12. §. 6, ubi simili usu *trahendi* verbum occurrit. Utraque de re legatur etiam *Epist.* XCVIII, 2, 3.

nec hoc dico, non sentit illa. Simili forma dixit Arr. III, 24. *p.* 490: „ καὶ οὐ τοῦτό φημι, ὅτι οὐκ ἐπιμελητέον." — Hic autem et similia loca Senecam ab inhumanae duritiei crimine vindi-

cant.

cant. Ita *de Const. sap.* X, 3: „omnes has, quas non miserias animorum, sed molestias dixerim, non vincit, sed ne sentit quidem. Alia sunt, quae sapientem feriunt, etiamsi non pervertunt, ut dolor corporis, et debilitas, aut amicorum liberorumque amissio, et patriae bello flagrantis calamitas. Haec non nego sentire sapientem: nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus: nulla virtus est, quae non sentias, perpeti." Comprobant extrema Mureti scholion. ad h. l. „Nam *ἀναισθησία* vitium potius esset. Notum est, quid Plato dixerit in Diogenem: cum is ostentandae patientiae causa, columnam marmoream nudus media hieme amplecteretur: si sentis, stulte facis: si non sentis, nihil magni facis." Hoc ipsum inter Stoicos et Megaricos Stilponis sectatores interesse scribit *Ep.* IX, 2: „Noster sapiens vincit quidem incommodum omne, sed sentit: illorum ne sentit quidem." Quamquam hoc, ut notat Lipsius, alias Pyrrhonis discipulis tribui solet. Ornatius eadem efferuntur *Epist.* LXXI, 25: „Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoveo." Neque in hoc Seneca nimis a ceteris Stoicis recessisse putandus est, qui non omnes animi commotiones exstirpandas judicarent, sed perturbationes; has autem Zeno, teste Cicerone *Tusc.* IV, 21. ita definiebat, ut perturbatio esset adversa ratione, contra naturam, animi commotio; vel brevius, ut perturbatio esset appetitus vehementior; vehementior autem intelligeretur is, qui procul abesset a naturae constantia. Itaque magis de verbis, quam de rebus dissensisse Peripateticos et Stoicos observat *Cl.* Cras *Disput. Stolp. de Ethicae Christ. praeceptis p.* 25. *sq.* Docte locum hunc persecutus est Lips. *Manud.* III, 7. Similem alius Stoici sententiam edidit in Epicteti *fragmentis* Uptonus *p.* 790: „Ἄλυπος ἴσθι μὴ τὴν ἀπάθειαν, ὡς τὰ ἄλογα τῶν ζώων· μηδὲ τὴν ἀλογίαν, ὡς οἱ ἄφρονες· ἀλλ' ὡς ἐνάρετος τὸν λόγον τῆς λύπης ἔχων παραμύθιον." quem locum memorat etiam in Animadv. praeclara Wytt. *ad Plut. Cons. ad Apoll. p.* 102. *C—D.*

alioquin — attollitur. Multum convenit illa modestiae cum torrente comparatio, quam e veteri scriptore *Cl.* Palmius affert *Salom. n.* 30. *p.* 244.

quie-

quietus placidusque. Sic *de Clem.* II, 5. de sapiente scribit: „eandem semper faciem servabit, placidam et inconcussam."

incurrentia. Placuit hoc verbum Senecae, v. c. *Cons. ad Marc.* V, 4: „adversi aliquid incurrat oportet." *Ib.* IX, 2: „Quae multo ante praevisa sunt, languidius incurrunt." Proprie usurpatum fuisse videtur de fera, velut infra §. 5, *de Ira* I, 3. §. 3: „Impetus habent ferae, rabiem, feritatem, incursum." Etiam de vento dicitur infra IV, 14.

attollitur, i. e. *insurgit*, *majorem animum adversis opponit.*

exercitationes. Laudant Interpr. ad h. l. verba Simplicii *in Epictetum*, dicentis adversas res esse vel *καμνόντων ἰατρείας* vel *ὑγιαινόντων γυμνασίας*.

quis autem licet. Sententiae nexus hic est: vir fortis adversa exercitationes putat; atqui exercitatio sive labor erecti animi viro acceptus est: ergo et adversa ei placent.

vir modo. Ita Cic. *Tusc.* II, 22: „Marius, rusticanus vir, sed plane vir." Erudite, ut solet, hanc dictionem illustrat Gatak. *ad Anton.* IV, 3.

erectus ad hon. Lips. *ann. ms.* „qui animum tollit ad altiora." Eodem fere sensu nudum ponitur *erectus*. Cic. *pro r. Dejot* 13: „magno animo et erecto est."

justi. Bifariam intelligi potest. Lips. *ann. ms.* „legitimi laboris:" quo sensu dicitur *justum bellum*. Sed sequens athletarum comparatio suadere videtur, ut positum existimemus pro *satis magni*, *qui vires omnes requirat.* Hoc sensu nonnunquam additum invenitur *satis*; ut ap. Hirt. *bello Alexandr.* 44: „quamquam magnitudine non satis justa ad proeliandum." Utra verior interpretatio sit, equidem non decerno.

cum periculo, i. e. *etiamsi periculum adeundum sit.*

industrioso. Quod in *Not. crit.* negavi vocem hanc in Lexicis ullo exemplo firmari, de eo sic ad me scripsit *Amic.* Bergmannus: „Vereor ne a Lexicographis in judicium vocoris. In Fabri *Thes.* Senecae loco additur Valer. Max. III, 4, 2: *industriosum pro ignominioso reddidit.*" Lubens igitur dicta revoco, simul illud addens, orationis numero, quem non tam studio quaesivisse Seneca videtur, quam rerum magnitudine abreptus in eum incidisse, nu-

numero igitur magis convenire videri lectionem *industrioso*. Habet tamen etiam Ed. Lov. *industrio*.

Athletas cet. Similiter Epict. ap. Arr. I, 29. *p.* 157: „ Καὶ οἱ ἀθληταὶ τοῖς κούφοις παιδίσκοις δυσαρεστοῦσιν."

se deest Editioni Lov. sed fortasse tribuendum operarum vitio.

objiciuntur a lanista, ipsi petentes. Ceterum locus de athletis pertinere videtur usque ad *ostendit*.

3 *val. polleatque*. Solennem Romae veteris formulam imitatur. Ita Fabius ap. Liv. VIII, 33: „ judicem fero, qui certe unus plus, quam tua dictatura, potest polletque."

scias licet. Notanda phrasis. Occurrit etiam *de Ben.* II, 23. §. 1. *Scilicet* nonnunquam eandem habet vim, ut in locis quibusdam et Nostri et Ciceronis animadvertit Gron. *Observ.* III, 9.

dura. Lips. *ann. ms.* „ et agere et pati fortia, Romanum opus." Locus est Livii II, 12.

in bonum vertant. Sic *Herc. fur.* 34:

„ in laudes suas
Mea vertit odia."

Egregie Plut. *de Virt. et vit. in f.* Cum, inquit, philosophiae dederis operam, non injucunde vives, sed ubique suaviter vivere disces: „ εὐφρανεῖ σε πλοῦτος, πολλοὺς εὐεργετοῦντα, καὶ πενία, πολλὰ μὴ μεριμνῶντα· καὶ δόξα, τιμώμενον, καὶ ἀδοξία, μὴ φθονούμενον."

non quid — interest. Eadem forma dicit *Epist.* LXXI, 23: „ non tantum quid, sed quemadmodum videas, refert." — Convenit Epicteti placitum, ὅτι ἡ οὐσία τοῦ ἀγαθοῦ ἐστιν ἐν χρήσει φαντασιῶν. Arr. II, 1. *p.* 167, ubi vid. Upt. Egregiis quibusdam veterum dictis hanc sententiam illustrat Wytt. *Philom.* II, 165. *sq.* Addere potuisset Tac. *Ann.* VI, 22: „ neque mala vel bona, quae vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos: si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur."

Non vides quanto. Dilecta forma Senecae. Ita *Nat. Q.* III, 30. §. 1, 2. periodos tres incipit a verbis: „ Non vides, ut."

indulgeant. Vid. *Not. crit.* Significationis hujus exemplis add. *Cens.*

ad

ad Helv. II, 1. XIV, 3. XVII, 1. et quae a me notata sunt in *Comment. de L. Coelio Antipatro p.* 49. (*Annal. Acad. L. B.* 1820—1821.)

studia. Ruhk. *ad Epist.* XXXV: „A nostro hic usus verbi *studere*, idem valentis quod operam navare literis, increbescere coepit." Qui refelli videtur exemplis a Schellero allatis e Cicerone, *Ad div.* III, 10. IX, 8. Ap. Senecam hoc sensu legitur etiam *Cons. ad Marc.* I, 6. V, 3. *de Tranq.* III, 4, 5. *Ep.* LVI, 1: „Peream, si est tam necessarium, quam videtur silentium in studia seposito."

sudorem illis — excutiunt. Patribus hoc in laudem vertit Seneca. Discrepare videatur Theophr. *Char.* 15, quippe qui inter *ἀναισθησίας* exempla refert, quod quis sit, *δεινὸς — τὰ παιδία ἑαυτοῦ παλαίειν ἀναγκάζων καὶ τροχάζειν, εἰς κόπους ἐμβάλλειν* (ex emendatione manifesta Casauboni pro *καὶ εἰς κοπ. ἐμβ.*) Sed recte monuit Casaub. „*κόπον* accipi non lassitudinem, sed fatigationem et incommoda, quae nimiam lassitudinem consequi solent, quae a medicis explicantur."

fovere in sinu. Duo verba lenissima jungit etiam infra III, 5.

laborare, scil. *eos volunt*, quae paulo durius omissa videntur.

4 *Patrium* cet. Si forte libellus hic in eorum manus venerit, quibus Sacrae nostrae Literae parum cognitae sint, ob eamque causam parvi aestimentur, animadvertant hi, quantum in magna cum hoc Senecae dicto convenientia, vi tamen et gravitate praecellat ille locus *Epist. ad Hebr.* XII, 5—10: „*Καὶ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως, ἥτις ὑμῖν ὡς υἱοῖς διαλέγεται· Υἱέ μου, μὴ ὀλιγώρει παιδείας Κυρίου, μηδὲ ἐκλύου ὑπ' Αὐτοῦ ἐλεγχόμενος. Ὃν γὰρ ἀγαπᾷ Κύριος, παιδεύει· μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται. Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός· τίς γάρ ἐστιν υἱὸς, ὃν οὐ παιδεύει πατήρ; Εἰ δὲ χωρίς ἐστε παιδείας, ἧς μέτοχοι γεγόνασι πάντες, ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοί. Εἰ δὲ τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας εἴχομεν παιδευτὰς, καὶ ἐνετρεπόμεθα· οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑποταγησόμεθα τῷ Πατρὶ τῶν πνευμάτων, καὶ ζήσομεν; Οἱ μὲν γὰρ πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, ἐπαίδευον, Ὁ δὲ ἐπὶ τὸ συμφέρον. εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος Αὐτοῦ.*"

fortiter amat. Lips. *ann. ms.* „non tam tenere et molliter quam ma-

matres." Idem in *Edit.* monet hanc dictionem Plinium usurpasse in *Panegyrico.* Ap. Senecam occurrit et *Epist.* 104. §. 2, ubi de uxore dicit: „ab illa non impetro, ut me fortius amet." — Refertur hoc in Stoicorum placitis a Diog. Laert. VII, 119. „τοὺς θεοὺς ἄγασθαι αὐτοὺς," nempe sapientes. In eandem rem Plutarchum, et Sextum Empiricum testes producit *Doct.* Werner *Dissert. de Senecae philosophia p.* 65. (*Wratislaviae* 1825). Quanto melius illi Epicuro, qui Deum talem informabat, a quo nemo diligeretur! Cic. *de Nat. D.* I, 43.

per inert. saginata, i. e. *quae sine suo labore saginantur.* Cum hoc usu particulae *per* quodammodo conveniunt illa Livii XXX, 29: „satin' per commodum omnia explorassent," ubi vid. Gron.

motu. Si per Codd. liceret, mihi quidem magis probaretur antiqua lectio *mole*, quam praefert et *Edit. Lovan.* Ad eam vocem Lips. *ann. ms.* „pinguedine." — Mox *deficiunt*, Gr. ἐκλύονται, *lassitudini succumbunt.*

Non fert cet. Ita *Cons. ad Helv.* II, 3: „Fleant itaque diutius et gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa felicitas, et ad levissimarum injuriarum motus collabantur; at quorum omnes anni per calamitates transierunt, gravissima quoque forti et immobili constantia perferant." In Senecae ac P. Syri *Sentent.* versus est 526:

„Patiens in adversis nunquam est felicitas."

Ubi Gruterus et illum locum et alia quaedam annotavit.

rixa. Sic *Epist.* LXVI, 4: „haec magis laudaverim bona exercitata et fortia, et cum fortuna rixata."

callum per inf. ducit. nimirum *homo ille.* Similiter intelligi possint nonnulla ex iis locis, quae ad ellipsin pronominis τις retulit Matth. *Gramm. Gr.* §. 294. 2, uti quoque locus ibi sub num. 1. allatus, Herod. II, 47: „θυσίη δὲ ἥδε τῶν ὑῶν τῇ Σελήνῃ ποιέεται· ἐπεὰν θύσῃ (sc. ὁ θυτήρ), τὴν οὐρὴν," cet.

injurias i. e. *damna*, sive quod in duodecim Tabulis dicitur *pauperies.* Hunc verbi sensum antiquiores ignorabant; usi sunt Plinius, Suetonius, Columella. Credo equidem, hic Senecam Horatii cogitasse versus *Od.* IV, 4. *vs.* 54. *sqq.*

„Du-

„ Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido
Per damna, per caedis, ab ipso
Ducit opes animumque ferro."

de genu pugnat. Lips. quod ad phrasim comparat *Epist.* XXIX, 5: „ nescio enim, quid de gradu faciat," i. e. *extra currum.* Rem Idem illustrat allata *Ep.* LXVI, 47: „ qui succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit." Pertinet autem is locus ad militiam: idem in lucta fiebat, eaque dicebatur lucta volutatoria, de qua Bosius ad Nep. *Epam.* c. 2. laudat epistolam J. F. Gronovii.

6 *fortunam — assignat.* Comparatio petita vel a gladiatore, vel a milite, quemadmodum ait *Epist.* XVIII, 6: „ Exerceamur ad palum: ut ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris." Varietas autem observetur, qua fortuna in hoc libro per comparationem inducitur. Modo gladiator est, c. §. sq. quam imaginem copiose cumque ipsius fortunae oratione proponit III, 3; modo minister, quo Deus homines duriter educans utitur, IV, 11; modo dux necessarius, sed sapientibus haud invitis sequendus, V, 3; modo ventus adversus ib. 8; modo rex, VI, 6. — *cum qua.* Ita in graviori oratione dicere amat Seneca, non *qua cum;* quod quidem formatum videtur, ut simile esset illis *nobiscum* et *vobiscum*, uti de *mecum* et *tecum* affirmat Cic. *Orat.* 45.

Ego vero non miror, cet. Praeclarum hunc locum attigit *Cl.* van Limburg Brouwer *l. l. p.* 123, ubi Senecae verbis memoratis addit: „ Jam non ad Deum homo, sed ad hominem Deus respicit. Seneca hoc spectaculum fortasse ex Theophrasti theatro expressit, de quo supra egimus." Nempe *p.* 99. *Vir Cl.* e Ciceronis, quae fertur, *Consolatione* locum excitaverat de sententia Theophrasti, „ orbem terrarum theatrum quoddam esse magnum divina mente repletum: — — — in eo autem medio collocatos esse homines a Deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egestate casibusque permultis assidue liictentur: Deum vero ipsum, quantum quisque pugnando valeat, quamque viriliter fortitudine divinitus accepta utatur, desuper aspectare." Brouwerum quidem et haec Disputatio carum mihi reddidit, et elegantissimum illud de Ho-

 mo-

mero scriptum. Attamen Vir egregius ignoscat, si paululum hoc loco ab ejus sententia discesserim idque dupliciter. Nam primum injuria carpere videtur Senecae magniloquentiam in eo, quod Deum ad hominem respicientem fecerit. Neque enim id ita fecit, quasi esset homo Deo superior, sed ut boni parentes filiorum vires exercentium spectaculo delectantur, vel, ut apud Virgilium Diana incedente,

Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:

unde nemo efficiat, poëtam filia matrem inferiorem finxisse. Tum quae dicit *Vir Cl.* de sententiae fonte Theophrasto, vereor ne festinanti exciderint. Equidem potius opinor *Consolationis* auctorem, id est, si nomen quaeras, Carolum Sigonium, ex hoc Senecae loco profecisse; neque enim in veri Ciceronis fragmentis quidquam de illo theatro legimus.

impetum capiunt. In ipso *Consolationis ad Helviam* initio: „saepe jam, mater optima, impetum cepi consolandi te, saepe continui."

honestior. Hoc verbum aliquando non ad animum, sed ad genus referri monuit *Cl.* Burmannus in *Scholiis ad Suet. Aug.* 46. allatis et his locis, Suet. *Ner.* 12, *D. tit. de connubiis*, et Petronii verbis *honeste loqui*, quae sic interpretatur: „non eodem modo loqui, uti plebs." Ita etiam hoc loco. Quod antiquitus servorum ac damnatorum proprium fuerat, ut in ludis cum bestiis depugnarent, id Senecae tempore senatores quoque et equites Romani factitabant: plerumque quidem aere alieno oppressi, saepe tamen etiam, ut Principi gratificarentur. Laudat Lips. *Saturn.* II, 3. *vs.* 67. locum Suetonii *Ner.* 12, quae verba quocunque modo legamus, id quidem ex iis patet, Neronem quosdam fortunae atque existimationis integrae ad pugnandum in ludis exhibuisse. Pertinet huc locus Tertulliani *ad Martyras* allatus *ib. p.* 66: „Quot otiosos adfectatio armorum ad gladium locat? Certe ad feras ipsas adfectatione descendunt, et de morsibus et cicatricibus formosiores sibi videntur."

6 *Ecce spectaculum*, cet. Imitatus est Min. F. *p.* 338: „Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas, et supplicia et tormenta componitur? cum

cum strepitum mortis et horrorem carnificis irridens insultat cum libertatem?" cet. quem locum et Lipsius attulit.

respiciat — Deus. Ita *Nat. Q.* I. *Praef.* 2. discendum sibi proponit, Deusne totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat.

par. Muretus: „Usitato in gladiatoribus verbo usus est, ut et statim *compositus.*" Utriusque dictionis exemplum habet locus Cic. *de Opt. gen. Orat.* 6. qui neque Muretum fugit. Est autem hujusmodi: „A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines, tanquam *Asterninus*, ut ait Lucilius, non *spurcus homo*, sed doctus et acer,

Cum Pacideiano componitur, optimi longe
Post homines natos."

Alia quaedam exempla suppeditavit Amicissimi Suringarii diligentia. Cic. *ad Div.* II, 8: „Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, et vadimonia delata, et Chresti compilationem mitteres, et ea, quae nobis, cum Romae sumus, narrare nemo audeat." Ubi Kortius neque nostri loci fuit immemor. Tum Horat. *Serm.* I, 7. *vs.* 18—20:

„Bruto praetore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositus melius cum Bitho Bacchius."

Denique Quintil. II, 17: „Saepe gladiatores sub eodem magistro eruditi, inter se componuntur." *Ib.* 33: „Si quis casus duos inter se bonos viros composuerit." Graece dicitur συμβάλλειν, aliquando etiam βάλλειν, ut ap. Arr. I, 24. p. 121: „λοιπὸν ὅταν ἐμπέσῃ περίστασις, μέμνησο, ὅτι ὁ Θεός σε ὡς ἀλείπτης, τραχεῖ νεανίσκῳ βέβληκεν." Quamquam ibi Wolfius malit συμβέβληκεν.

utique si, i. e. *tum certe, tum praesertim, si et provocavit.* Eodem sensu *Nat. Q.* VII, 31: „Tarde magna proveniunt, utique si labor cessat." Ubi nollem interrogandi punctum addidisset Ruhkopfius.

provocavit. Illustrant hanc dictionem ea, quae de se, Sextii librum legente, scribit *Epist.* LXIV, 3: „In quacunque positione mentis sim, cum lego hunc, fatebor tibi, libet omnes casus provocare li-

libet exclamare: quid cessas fortuna? congredere: paratum vides." Videtur autem his transitus fieri ad Catonis mentionem, de quo *Epist.* XCV, 69: „ Altius certe nemo ingredi potuit, quam qui simul contra Caesarem Pompejumque se sustulit et aliis Caesarianas opes, aliis Pompejanas foventibus, utrumque provocavit, ostenditque aliquas esse reipublicae partes." Cf. *Epist.* CIV, 33.

Non video, cet. In edit. Vincentii Pralli (Paris 1580), quam servat Academia Leidensis, manu sua Casaub. ad h. l. adscripsit: „ Stulta Senecae opinio, Deo probari αὐταxτοῦντα." Qua de re postea nobis aptior erit agendi locus.

Jupiter. Hoc nomen retinuere Stoici, licet alium atque vulgus, ei sensum tribuentes. *Nat. Q.* II, 45. „ Ne hoc quidem crediderunt Etrusci, Jovem, qualem in Capitolio et in ceteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, sed eundem, quem nos, Jovem intelligunt, custodem rectoremque universi" cet. Bene sententiam eorum explicuit *Cudw. l. l. p.* 650, ubi post memoratos inferiores Stoicorum deos ita pergit: „ Sed hos omnes tamen Deos, si unum illum, quem diximus, excipias, ex uno illo, quem Ζεὺς sive *Jupiter* vocabant, generatos et procreatos esse, praedicabant: quem Jovem, non mentem tantum omnia ratione gignentem, sed etiam totius mundi animam affirmabant esse, qui ex semet ipso cum reliquum mundum, tum Deos istos, quum antea nulli essent, produxerit."

si conv. an. vellit. Ornate pro *quo convertat animum.*

Catonem. Hunc, de quo praeclare Cic. *Tusc.* V, 1: „ si modo est ulla virtus, quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit," hunc et Seneca maximi faciebat, *de Tranq.* XV, 5: „ Cato ille, viva virtutum imago." *de Const. sap.* VII, 1, postquam raro sapientem inveniri perfectum dixerat: „ Ceterum ipse M. Cato, a cujus mentione haec disputatio processit, vereor ne supra nostrum exemplar sit." Hinc emendare subit locum Sidonii Apollinaris ex illo *ad Felicem* carmine (IX edit. Sirmondi) quo quid non sit cantaturus, trecentis versibus dicit. Legitur ibi *vs.* 231. *sqq.*

„ Non quod Corduba praepotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum.
Quorum unus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem."

His-

Hispidus quid sit, apparet ex ejusdem *Epist.* III, 8, ubi Tyaneum fuisse scribit „inter alabastra censorium, concretum, hispidum, hirsutum," ad quem locum ea vox a Savarone pluribus illustratur. Jam quaero, quid fuerit, quod Platonem *hispidum* appellaret Sidonius, de eo ceterisque philosophis satis honorifice sentiens, ut apparet e *Paneg. ad Anthem. Aug. vs.* 156—183? Legendum puto *Catona*, in quem priscae incultaeque austeritatis virum illud epitheton bene conveniebat, ut sub carminis finem dicit:

„Sed nec turgida contumeliosi
Lectoris nimium verebor ora,
Si tanquam gravior severiorque,
Nostrae Terpsichores jocum refutans,
Rugato Cato tetricus labello
Narem rhinoceronicam minetur."

non semel. Bis, primum apud Pharsaliam, iterum prope Thapsacum Africae urbem, quo Pompejanarum partium reliquiae Scipione duce concesserant. De morte Catonis et rebus antegressis copiose Plut. exposuit *Vit. Cat. c.* 58. *sqq.* quae qui legere semel instituerit, non ille prius librum ponet, quam ad exitum pervenerit egregiae πάθεσι καὶ ἤθεσιν, ut Graeci dicunt magistri, mirabiliter instructae narrationis.

stantem — rectum. Praeter Horatii locum in *Not. crit.* significatum, quem et Lipsio memoratum esse video, comparari possunt illa *de Const. sap.* II, 3: „adversus vitia civitatis degenerantis, et pessum sua mole sidentis, stetit solus, et cadentem Rempublicam, quantum modo una retrahi manu poterat, retinuit; donec vel abreptus vel abstractus, comitem se diu sustentatae ruinae dedit: simulque exstincta sunt, quae nefas erat dividi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem." Item *Epist.* XCV, 71. admiratur „invictam constantiam viri inter publicas ruinas non labantis."

6 *Caesarianus — obs.* Laudant Interpr. Hirtium *de b. Afr.* 86, ubi de Caesare: „M. Messala Uticam ante praemisso cum equitatu, ipse eodem iter facere contendit." Item *c.* 88: „Messala, ut erat imperatum, Uticam pervenit, omnibusque portis custodias ponit."

la-

latam — faciet. Nimirum ut possit ad ipsum pervenire. Jungit haec etiam Prop. III, 1. *vs.* 14: „Non datur ad Musas currere lata via." Placuit in hac sententia sibi Seneca, mortem homines in libertatem asserere. Sic *Epist.* XII, 30: „patent undique ad libertatem viae multae, breves, faciles." Item XIII, 14: „Catoni gladium assertorem libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriae." Serva in *Hippol.* I, 39:

„Fortem facit vicina libertas senem."

etiam innoxium. Dicit idem disertius *Epist.* XXIV, 7. ubi Catonem se interficientem copiose describit, quem locum, etsi longiorem, ut comparationis esset copia lectoribus, apponere libuit: Catonem narrabis. Quidni ego narrem, ultima illa nocte Platonis librum legentem, posito ad caput gladio? duo haec in rebus extremis instrumenta prospexerat, alterum ut vellet mori, alterum ut posset. Compositis ergo rebus, utcunque componi fractae atque ultimae poterant, id agendum existimavit. ne cui Catonem aut occidere liceret, aut servare contingeret; et stricto gladio, quem usque in illum diem ab omni caede purum servaverat, nihil, inquit, egisti, fortuna, omnibus conatibus meis obstando; non pro mea adhuc, sed pro patriae libertate pugnavi; nec agebam tanta pertinacia, ut liber, sed ut inter liberos viverem; nunc quoniam deploratae sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum! Impressit deinde mortiferum corpori vulnus. Quo obligato a medicis cum minus sanguinis haberet, minus virium, animi idem, jam non tantum Caesari, sed sibi iratus, nudas in vulnus manus egit, et generosum illum contemtoremque omnis potentiae spiritum non emisit, sed ejecit." Quod autem instrumentum *gladium* appellat Seneca eique consentiens Florus IV, 2. §. 71, id a *Dione Cassio* XLIII, 11. ξιφίδιον et ἐγχειρίδιον dicitur. Similiter discrepant in Othonis caede Suetonius et Plutarchus. Videtur autem, ut Demosthenes et Hannibal venenum, ita Cato talem casum animo praecipiens, sive gladium sive pugionem in hos usus reservasse. Mirum tamen, eum gladium mox dici, libertatem patriae dare non potuisse: nisi hoc magis de Catonis universe fortitudine, quam de illo ipso telo intelligendum sit.

edit operas. Phrasis occurrit etiam infra V, 1. Livio III, 63. res-

restituit eam J. Fr. Gron. allatis his locis: Liv. V, 4: „ Annua aera habes, annuam operam ede." Sen. *de Ot. sap.* XXXII, 16, Front. I, 9. §. 4. De gladio similiter Oedipus in *Phoen.* 106–108:

„ Ensem parenti trade; sed notum nece
Ensem paterna: tradis? an gnati tenent
Cum regno et illum? faciet, ubicunque est opus."

Aggredere. Senecam hunc forsan et aliarum e tragoediis, *Herculis* certe *furentis* auctorem esse, mihi quidem admodum probabile fecit observata quorundam locorum convenientia. Velut *vs.* 1281. ita dextram ipse suam Hercules alloquitur:

„ Agedum dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius."

Similem orationis formam videmus etiam in *Thyest.* 192, 270, 283, 423, *Phoen.* 44. *sqq.*

diu meditatum opus, nempe morte res humanas effugiendi. Proprium hac in re *meditari*. Cic. *de Sen.* 20: „ Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest." Hoc de argumento lectu dignissima Senecae nostri *Epist.* XXVI. Praeclare quoque Plut. in libro: *non posse suaviter vivi secundum Epicurum*, *c.* 18: „ Ἔπειτα τῆς ἀληθείας καὶ θέας τοῦ ὄντος οὐδεὶς ἐνταῦθα τῶν ἐρώντων ἐνέπλησεν ἑαυτὸν ἱκανῶς, οἷον δι' ὁμίχλης, ἢ νέφους τοῦ σώματος, ὑγρῷ καὶ ταραττομένῳ τῷ λογισμῷ χρώμενος, ἀλλ' ὄρνιθος δίκην ἄνω βλέποντες, ὡς ἐκπτησόμενοι τοῦ σώματος εἰς μέγα τε καὶ λαμπρὸν, εὐσταλῆ καὶ ἐλαφρὰν ποιοῦσι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν θνητῶν, τῷ φιλοσοφεῖν μελέτῃ χρώμενοι τοῦ ἀποθνήσκειν." Quae cum scribo, Tua, cujus saepe recordor, in mentem redit oratio, *Clar.* Bakil qua mihi Josephi Scaligeri *mortem meditantis*, quibus ille pro sententia verbis utebatur, imaginem intuendam proponebas.

8 *Jam Petr. et Juba.* Monuit me *Amic.* Suring. similiter dixisse Gargonium ap. Sen. *Patrem Suasor.* VII. *in f.* „ Juba et Petrejus mutuis vulneribus concurrerunt." Magna dissensione referunt hoc historici: nam et in tempore discrepant; siquidem Hirtius, Livius et Appianus mortuo demum Catone contigisse tradunt: et in eo, utrum mutuis vulneribus, an alter sua vel etiam servi manu conciderit. Scriptorum loca postquam recensuit Muretus,

 haud

haud imprudenter ait: „ Quid in hac varietate facias? quid, nisi ut dormites potius, quam in his, quibus neque melior quisquam, neque sapientior fit, subtiliter conquirendis, otium conteras?" Si tamen expendere lubet, inspice Freinshemium *ad Flor.* IV, 2. §. 69.

fati conventio. Lipsius, quem secutus est Ruhk. „ Pactum inter ipsos super fato. Ita de Ira lib. III. cap. XXVI. *Una res nos facere potest quietos, mutuae facilitatis conventio.*" Malim tamen ita interpretari, ut sit *fati conv.* non *de fato*, sed *cum fato conventio*, ἐντεύξις, ut fato appropinquanti tanquam obvii procederent.

acerrimus sui vindex, i. e. *fortissimo facto se in libertatem asserens.* Frustra conjicere videtur Lips. *suae.* Neque enim Cato salutis suae, sed libertatis assertor fuit.

alienae saluti consulit. Erant enim Uticae nonnulli senatorii ordinis, Uticensibus invisi, ut jam sermones inferrentur de iis asservandis ad leniendam Caesaris iram. Horum igitur fugae magno studio Cato consuluit. Plut. *c.* 64: „ Πάλαι δ᾽ἄνθρωπος ἑαυτὸν ἐγνωκὼς ἀνελεῖν, δεινοὺς πόνους ἐπόνει, καὶ φροντίδας καὶ ὠδῖνας εἶχεν ὑπὲρ ἄλλων, ὅπως εἰς ἀσφαλὲς καταστήσας ἅπαντας ἀπαλλάξαιτο τοῦ ζῆν." Itaque his in curis penultimam vitae noctem atque insequentis diei maximam partem consumsit.

dum. Aucta orationis gravitate posuisse videtur *dum*, tanquam exquisitius antecedenti *cum.*

sacro pectori. Itidem *Epist.* LXVII, 13: „ Adspice M. Catonem, sacro illi pectori purissimas manus admoventem, et vulnera parum demissa laxantem." Rationem, quare sacrum illum haberet, edit in hujus capitis exitu.

illam sanct. — manu educit. Similiter *Epist.* LXX, 16: „ quam ferro non emiserat animam, manu extraxit." Utrumque locum Gronovius contulit cum *Phoen.* 165. Eadem de re sic *Epist.* LXXI, 17: „ infelicem Catonem vulnera sua animosius, quam fecerat, retractantem." Locum nostrum ita interpretor: Cato non tam ferro, quam verius ipsa manu mortem sibi conscivit, cum vulnus religatum iterum aperiret. Hoc audacter Seneca dicit *animum manu educere*, audaciusque etiam addit: „ ind. quae fi contem."

9 *revocata.* Lips. „Ut solet in spectaculis. Ubi aliquis populo placuisset, revocabatur, et iterum iterumque audiebatur vel spectabatur. Sic Cicero de Diphilo tragoedo: *Millies coactus est dicere.* Simile in gladiatoribus vel athletis." Et hoc bene. Quod autem mox pro *parte*, *pare* conjicit, in eo me non habet assentientem. *In diff. parte* traducta videntur a diversis aciei partibus, quarum aliae magis aliis erant hostium telis expositae.

mors initur. Consuetius dicunt *adire mortem.* Illud verbum similiter fere positum *Herc. fur.* 834: „Ausus est coecos aditus inire."

quorum — laudant. Videntur Uticenses intelligi, qui licet in Catone magnum sibi esse praesidium adversus Caesarem existimarent, illius tamen exitum non luctu solum, sed et laudibus prosecuti sunt effusissimis, ut refert Plut. *vit.* 71. *p.* 212.

CAPUT III.

1 *Sed jam praecd. oratione — non potest esse.* Totius hujus loci nexum ut bene perspiciamus, tenendum est, Senecam supra II, 1—3 demonstrare coepisse, mali nihil bono viro accidere posse, quippe qui adversa omnia exercitationum loco duceret. Verum ab ista demonstratione paululum eum aberrare fecerat et patrum cum Deo comparatio, et voluptas e viri magni cum fortuna colluctantis spectaculo Diis oriunda, Catonis illustrata fortitudine. Nunc ab ea digressione redit ad propositum; verum sentiens, fortasse disputationem de bono et malo fieri posse spinosiorem, eam totam in futurum differt, idque promissum exsolvit cap. VI. Praesenti tempore lite de vocabulo missa, res quatuor ostendere instituit. De qua distributione, liceat adscribere *Doct.* Bergmanni judicium: „Mihi videtur Seneca non *quinquepartitam*, sed *quadrupartitam* h. l. divisionem facere: verba autem *persuadebo inde tibi*, *n. u. b. v. m.* significare conclusionem *inde* (i. e. ex quadruplicis partitionis demonstratione) petendam; ita ut *inde* accipiatur non pro *deinde*, sed pro *ex eo*, *ex ea re.* Hoc ipsum autem *persuadebo inde tibi*, *ne unquam boni viri miserearis*, convenit cum argumento totius libri, et perinde valet, ac si scripsisset Seneca:

 ne

ne unquam bonos viros a Providentia male habitos queraris; sive *ne dubites de Providentia, cum bonis viris male eveniat.* Cf. Cap. 1. init. Sic omnis de libelli mutilatione suspicio facile evanescit." Ambabus, quod dicunt, manibus hanc amplector Amicissimi Viri sententiam, eaque, quae in *Praef.* leguntur his contraria, pro non scriptis velim Lectores habeant.

oratione. Lips. „ Vel ex hoc verbo grandiore dixeris, *Epistolam* hanc non esse, *Librum* esse." Illud enim facile quis ex inscriptione ad Lucilium, et exordio persuadere sibi poterat. Vid. *Praef. p.* 11, 12. Contra videmus *Epistolam* LXXXVIII. in nonnullis Codd. inscribi *Librum de liberalibus studiis.*

quam non sint, quae vid. mala. Similiter Plato *de Rep.* X. *p.* 518 C. memorat inopiam, morbos aut aliud quid „ τῶν δοκούντων κακῶν."

pro ipsis. Advocat hunc locum Rubenius ad stabiliendam emendationem *de Ira* II, 8, ubi *pronos* auctoritate duorum Codd. et Romanae editionis mutari vult in *pro nobis*, addito loco *Epist.* XIII, 14: „ fortasse pro me veniet." Addere quoque potuisset *de Clem.* I, 3. §. 3. ubi, quod obiter observo, tuenda videtur antiqua lectio „ quem omnes tam supra se esse, quam pro se, sciunt;" siquidem *tam, quam* more nobis inusitato collocantur etiam *de Prov.* III, 5. *Pronos* tamen equidem sanum esse puto, translatum ab iis, qui de monte descendentes, jam cursum continere nequeunt.

dignos — nolint. In eandem sententiam *de Tranq. an.* XV, 6: „ si muliebriter et ignave periere, nihil periit."

eadem lege, secundum eundem fatorum ordinem: quippe virtus et res adversae cohaerent, individua sunt, ut ait infra VI, 7.

potest enim — potest esse. In Senecae ac P. Syri haec est *vs.* 408:

„ Miser dici bonus vir, esse non potest."

Cato Stoicus ap. Cic. *de Fin.* III, 3: „ si enim sapiens aliquis miser esse possit, nae ego istam gloriosam, memorabilemque virtutem non magno aestimandam putem." Idque deinde *c.* 7. sic demonstrat: „ cum ergo hoc sit extremum, congruenter naturae convenienterque vivere; necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere, nulla re impediri, nulla prohi-

hiberi, nulla egere." Senecae locum imitatus videtur Minuc. F. Oct. p. 338. sq. „ Sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri."

2 *efferre*, sepeliendi causa. Significationem hanc, ut indicavit *Amic.* Suring. explicuit Donat. *ad* Terent. *Andr.* I, 1. *vs.* 90.

debilitari. Ruhk. intelligit „ de publica poena crudeli, qua quis unum alterumve corporis membrum amitteret." Equidem ejusmodi poenam apud Romanos in usu fuisse non memini. Potius de bello cogitandum, in quo facile pede manuve mutilari poterant.

Si miraris cet. Frequentissime veteres hanc adhibuere comparationem. In locis plurimis a Gatakero congestis *ad* Ant. V, 8, eminent illa Simplicii verba, quae Graece Muretus attulit: Εἰ οὖν τὴν τῶν σωμάτων ἰατρικὴν γυμνάζουσαν καὶ καίουσαν, καὶ κατατείνουσαν, καὶ μόρια ἀποκόπτουσαν, καὶ τὰ αὐτὰ τοῖς ἀφειδῶς κολαζομένοις ἀνθρώποις ποιοῦσαν, οὐ κακὸν λέγομεν, ἀλλ' ἀγαθὸν, καὶ χάριν καὶ μισθὸν τελοῦμεν τοῖς ἰατρεύουσι, διὰ τί τὴν τοῦ Θεοῦ ἰατρείαν οὐκ ἀγαπῶμεν;" Praeterea pulchre Demophilus Pythagoreus *Similit. p.* 20. *ed. Holst.* „ Πατρὸς ἐπιτίμησις ἡδὺ φάρμακον· πλεῖον γὰρ ἔχει τὸ ὠφελοῦν τοῦ δάκνοντος." Ad h. l. J. A. Schier (qui Demophilum edidit A. 1754): „ Idem St. serm. 81: ubi Socrati haec similitudo adscribitur, sed in Melissa c. 125. πατρὸς ὕβρις legitur, ut ad h. l. Holsten. observat." Ita quoque legitur haec sententia in fragmentis iis, quae partim Epicteto, partem aliis tribuens illius editioni subjecit Uptonus *p.* 788. — Remedii duri loco Phalarim Agrigentinis fuisse, Romanis Caligulam scribit Plut. *de Sera Num. vind. p.* 28.

legi, i. e. *eximi*. Graecis hoc sensu dicitur ἐκλέγειν, ut Teleti ap. Stob. *p.* 846. *ed. Gesn.* „ γελοῖον γὰρ ἔσται, εἰ ἐὰν τὸν ἕτερον τις ὀφθαλμὸν ἀποβάλῃ, δεήσει, καὶ τὸν ἕτερον προσεκκόψαι· — κἂν ἕνα ὀδόντα, καὶ τοὺς ἄλλους προσεκλέξαι." Lips. affert *Cons. ad Marc.* XXII, 1: „ lacerationes medicorum ossa vivis legentium," et *de Ben.* V, 24. §. 3: „ in acie oculus mihi effossus est, et in capite lecta ossa." De re ipsa Mureto memoratur Celsus l. VIII, uti mox de venis extrahendis *l.* VII. *c.* 31.

extrahi venas. Erat haec varicum curatio doloris plenissima: passim in simili argumento memoratur a Cicerone, veluti *Tusc.* II, 15,

item

item a Sen. *Epist.* LXXVIII, 17. Miror igitur Lipsio dictum videri *pro sanguinem e venis extrahi.* Sentit mecum idem Ruhkopfius.

quaedam quae laud. — per voluptatem. Potest huc referri dictum et factum Philoxeni, poëtae melici, qui cum in Sicilia laute vivendi copiis afflueret, homines autem videret luxuriae deditos atque a liberalibus studiis alienos, „ μὰ τοὺς θεοὺς," inquit, „ ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα." Quo dicto agri quem possidebat portione aliis concessa insulam reliquit. Auctor est Plut. *de Vitando aere alieno p.* 831, F, unde Cl. Wytt. attulit *Diatr. de Philoxenis* (*Philom.* II, 66).

3 *Demetrii.* Quanti fecerit hunc Seneca, patet e loco, quem et Ruhk. attulit, *de Ben.* VII, 1. §. 3: „ Demetrius Cynicus, vir meo judicio magnus, etiamsi maximis comparetur:" tum ex ejusdem libri c. 8. §. 2: „ Paulo ante Demetrium retuli: quem mihi videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi posse: virum exactae, licet neget ipse, sapientiae, firmaeque in his, quae proposuit, constantiae: eloquentiae vero ejus, quae res fortissimas deceat, non concinnatae, nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito, quin Providentia et talem vitam, et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum seculo nostro, aut convicium deesset." Vid. *Epist.* LXII, 2. *Nat. Q.* IV, *Praef.* 7. Lips. *Manud. p.* 45. et ad Tac. *Ann.* XVI, 34. *Doct.* Posthumus *Dissert. de Cratete p.* 26. *sq.*

vibrat. Quintiliano X, 1, 60. XII, 9. commemoranti *sententias vibrantes* hic fortasse Senecae locus in animo fuit.

Nihil, inquit, cet. Definitu difficilius, quousque pertineat oratio Demetrii; mihi tamen commodissime desinere videtur in verbis: „ cum homine vinci parato." — Sententiam uberius exsequitur infra *c.* IV, ubi et hoc dicit „ miserum te judico, quod nunquam fuisti miser." Et *Epist.* CXXIV. in ipso fine: „ Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse felices." Similis est locus Theodoreti *de Provid. Or.* IX. *p.* 199, ubi delicias et magnificum vitae apparatum prudentibus non felicitatem, sed extremam miseriam videri scribit.

fluxe-

fluxerint. Hunc usum verbi *fluere* videas exemplis illustratum a Menag. *in Diog. Laert.* VII, 88.

male — judicaverunt. Hoc quid sit, efficere possumus cum e loco gemino *Epist.* LXXIV, 10: „ male de Providentia judicat: quia multa incommoda justis viris accidunt:" tum e contrario *bene judicare*, quod habemus infra IV, 8. Sensus igitur: *illum Dii condemnarunt, laude sua benevolentiaque indignum censuerunt.* — Ceterum idem de Diis affirmat *Epist.* XCV, 50: „ aliquando specie boni puniunt," ubi vid. Ruhk. et *Epist.* CX: „ Sed non est, quare cuiquam, quem dignum poema putaveris, optes, ut infestos Deos habeat: habet, inquam, etiamsi videtur eorum cura et favore produci."

a quo vinc. aliq. fortuna. Eadem utitur metaphora *de Const. cap.* VIII, 2: „ nec a fortuna quidem: quae quotiens cum virtute congressa est, nunquam par recessit." *Ib.* XV, 2: „ vincit nos fortuna, nisi tota vincatur." *Epist.* XCVIII, 14: „ Restituamur, ut possimus — fortunae dicere: cum viro tibi negotium est, quaere, quem vincas." Demoph. *Simil. p.* 20: „ Τὸν σπουδαῖον ἄνδρα, καθάπερ παλαιστὴν ἀγαθὸν, δεῖ πρὸς τὴν ἀνταγωνιζομένην τύχην τὰ βάρη μεταφέρειν, i. e. *tota corporis mole obniti*, ut vertit Holst. sive potius *corporis pondus in hanc illamve partem inclinare; prouti requiritur ad feriendum adversarium.*

ignav. quemque refugit. Suspicor hanc sententiam iis Livii editoribus ob oculos fuisse, qui *l.* III. *c.* 54. dederunt: „ haud ignavo, inquit, imminet fortuna," ubi tamen veteres omnes cum scriptis pro *ignavo* praeferre *ignaro* testatur Gronov. hanc lectionem firmans locis Senecae *Epist.* LXXVI, 26: „ Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: sciebam hoc mihi restare, quidquid factum est, dicit, sciebam:" *Cons. ad Marc.* IX, 2: „ Non decipies me, fortuna, nec securum aut negligentem opprimes. Scio quid pares:" et Petronii: „ Scio te, Ascylte, ad occidendum me venisse."

arma subm. Lips. „ Ut victi et supplices solent. Est a gladiatoribus, vide nostra *Saturnalia.*"

non potest sust. vultum meum. Ita Scipio in oratione ad milites rebellantes ap. Livium interrogat, an vultum Hannibalis, quem tot

tan-

tantique imperatores ferre non potuissent, ipsi sustenturos se existimassent. Ita C. Marii vultum non tulisse fertur ille Gallus, occidendi causa missus. Et Caligula senatorem torsisse vultu suo. *De Ira* III, 19. §. 1. Ad fortunam hoc transfert etiam *Epist.* LXXI, 33: „ Alius jam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat attollere oculos, sed non pertinaciter: cedunt enim nimio splendore praestricti. Alius in tantum, ut possit cum illa conferre vultum." Ad quem locum inspiciatur nota Ruhkopfii.

4 *componi.* Dictionem illustravi supra II, 6.

fort. sibi pares quaerit, i. e. *quaerit, cupit, ut fortissimi cum ipsa componantur.*

5 *Ignem experitur* cet. Hos viros passim in tali disputatione commemorat, ut *de Tranq. an.* XV, 5. *Epist.* XXIV, 3. *sqq.* LXVII, 9. *sqq.* XCVIII, 12. Multum convenit locus Plutarchi *an vitiositas ad infelicitatem sufficiat*, *c.* 3, ubi Metroclis aliorumque docet exemplis, fortunam non infelices facere.

venenum in Socr. mortem in Catone. Videntur haec majore cum acumine, quam judicio sibi opponi, nam et in Socrate mortem experta fuerat fortuna. Melius *Epist.* XCVIII, 12, ubi Cato „ mortem ferro adactam vicisse dicitur."

Magnum — invenit. Hunc locum aliaque similia Nasonis, Epicteti, et Pseudo-Ciceronis adduxit Gatak. *ad* Ant. IV, 1.

premit. Lips. „ Quasi manu passa et panda flammam surgentem comprimeret." Malim equidem *ignes* de carbonibus sive titionibus intelligere.

ipse — poenas? Eundem *Epist.* XXIV laudat, „ poenas a se irriti conatus exigentem." Comparari quoque merentur, quae de Mucio scripsit *Epist.* LXVI, 48, 49.

in sinu — manum. Versus notissimus:

„ Foveat in tepido mollis amica sinu."

Tib. I, 8. *vs.* 30:

„ Ut foveas molli frigida membra sinu."

6 *bellum — cum div. gerit*, i. e. *animum obfirmat, ne flat ἥσσων πλούτου, ne paupertatis sublevandae spe ab honestatis via deducatur.*

ad focum — senex vulsit. Quaeritur an Fabricium eum Manio Cu-

tio

rio confuderit. Quod eum fecisse statuit Lips. *ad Cons. ad Helv.* X, 2: „ Scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitum legatos audiit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret illa, qua jam saepe hostem percusserat," cet. Illic igitur haec Lipsius: „ M' Curius: qui tamen Consul modo fuit. Hunc eundem *Fabricium* vocat de Provid. Cap. III, praeter alios, quibus constanter est Curius." Et sane fieri potuit, ut, cum utriusque abstinentia multum celebraretur, eodemque tempore floruissent, in memoriae lapsum Philosophus noster inciderit. Aliter tamen hoc de loco sentit Ruhk. „ Quae hic de F. narrat noster, alii de Manio Curio tradunt: neque inde colligas, nostrum nomina virorum illorum coaevorum confudisse. Non enim ad historiam aliquam respexit noster, sed de tota vivendi ratione Fabricii, ut hominis, antiquos mores secuti, ejusdemque pauperis, retulisse putandus est." Et in hoc acquiescere possumus; quamquam ob locum allatum e *Cons. ad Helv.* Lipsii sententia magis arridet. Vid. Camersius *ad* Flor. I, 18. §. 22.

triumphalis. Triumphavit Fabricius de Samnitibus: quos cum uterque bello deviçerit, hinc quoque facile potuit ἁμάρτημα μνημονικὸν oriri.

longinqui lit. pisces. Ingens Romanae luxuriae instrumentum. Muretus affert hos versus Horatii:

„ Sed non omne mare est generosae fertile testae.
Murice Bajano melior Lucrina peloris;
Ostrea Circaeis, Miseno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum."

aucupia. Lips. „ Pro avibus ipsis captis: ut *Venatio* pro feris." Utrumque Ruhk. occurrere monuit ap. Celsum II, 26. In notis Gruteri et Jureti memoratur observatio Langlaei *Ocio Semestr.* VI, 1, qui doceat ap. Liv., *venatio* eodem sensu intelligendum esse de ipsa praeda capta. Enumerat Muretus aves quasdam ejusmodi, ut attagenas Jonicas, phoenicopteros, phasianos, gallinas Numidicas, porphyriones, pavones Samios et similia.

conchyliis i. e. *ostreis.* Solet haec memorare Noster, ubi civium suorum gulam carpit, ut *Epist.* LXXVIII, 22. XCV, 25. CVIII, 15. quae loca collegit Burm. *ad Petron. p.* 562.

ing. pomorum strue. Probabilem hujus moris causam edit Lips. *Poliorc.* IV, 1. *p.* 158: „Ponebantur autem [apri] in grandibus quadratisque lancibus (ex Athenaeo), et pomis, glandibus, aut strue tali fructuum, cingebantur. Quid ut indicarent? captos in silvis esse? an stragem hanc talem dedisse?" Simili ratione numerosam squillis cinxerant in illa Nasidieni coena, quam pingit Hor. *Serm.* II, 8. *vs.* 42. *sq.* Quod quidem huc adhibere malui, quam quos Lips. affert ex eadem *Sat. vss.* 16. *sqq.* Ibi enim potius describi videtur universa mensa prima variis constans patinis, quarum medium tenebat aper. Iis memoratis conjecturam ille suam addit in Senecae locum: „Sed tamen cum hic luxum merum aut delicias narret, quid eo *poma* faciant? Mihi vero placeat rescribi *epseniarum strue.* Aper in medio, circum patinariae strues, ut Comicus appellat." Verum hoc si voluisset Auctor, potius credo scripsisset: *struibus*, ut Comicus ille *Menaechm.* I, 1. *vs.* 26:

„Tantas struices concinnat patinarias."

Et luxuriae significatio jam epitheto *ingenti* continetur.

primae formae feras. Erant in his, ut notat Lips. quos *Epist.* CX, 11. appellat milliarios apros, i. e. mille librarum. Huc praeterea Mur. refert oryces, onagros, lalisiones, dorcadas, cervos ejusdemque generis alia.

captas — venantium. Mur. de orycibus versus affert Martialis XIII, 90:

„Matutinarum non ultima praeda ferarum,
Saevus oryx constat quot mihi morte canum."

Seneca tamen h. l. venatores intelligere videtur.

7 *Rutilius.* Hujus vel e Cicerone satis cognita animi integritas. E recentioribus ejus res attigere *Nob.* Lynd. *de Panaet. p.* 52, 53. *Cl.* Bakius *de Posid. p.* 175.

damnaverunt. „Equites Romani" (verba sunt Lipsii) „conspiratione in eum publicanorum: quos grassari in Asia prohibuerat. Itaque in ipsam amicam Asiam damnatus reddit; *cui obviam omnes civitates legatos miserunt, ut ad se diverteret.* Valerius."

causam — seculis, i. e. a posteris ut iniqui et injusti accusabuntur. Pulchram imaginem dubium, utrum ex hoc Senecae loco, an suo ingenio depromserit immortalis ille noster Hugo Grotius, qui

qui modo carcerem elapsus, ubi servatricem uxorem adhuc dura custodia tenebant, ita cecinit:

„ Maer ghy Regeerders 's Lands, wat roem meent ghy te dragen,
Dat ghy beslaet een vrouw, en sulken vrouw te plagen?
Daar sullen rechters sijn, die tusschen u en haer
Recht sullen spreecken nu, en noch nae hondert jaer;
Niet vierentwintig, niet eenzijdelijk verkooren,
Maer hondord duysenden, en hoogh en laagh gebooren;
Die sullen, u ter schand, en haer tot eer verstaen,
Dat ghy seer qualijk hebt, en sy seer wel gedaen."

aequiore — exsilium. Cicero quamquam hujusmodi orationis lumina non sprevit, hac tamen dictione sine dubio abstinuisset. Inest enim aliquid duri, ortum inde, ni fallor, quod verbum *eripi* duplice sensu posuit, altero usitato, altero insolentiore. Quis enim unquam eripi dixit exsilium? eripiuntur bona, liberi, cara, sed rebus tristibus liberamur potius, eximimur. Quamquam in eo ipso quaesivisse videtur acumen quoddam, ut alibi de Rutilio scribit *Epist*. LXXIX, 12: „ Numquid non sorti suae gratias egit, et exsilium suum complexus est?"

Syllae — negavit. Attulit jam Lips. locum *Epist*. XXIV, 4: „ reditum suum Syllae negavit, cui nihil tunc negabatur."

revocatus — fugit. Vid. *Not. crit*.

Viderint, i. e. *istis deliberandi potestatem relinquo; ipse quidem, quid faciam, decrevi*. Hanc esse vim hujus dictionis, intelligi potest e locis a Gronovio allatis. Ita Graeci dicunt ὄψονται, ut *Arr*. IV, 6. p. 614.

largum in foro cet. Sylla jure dicitur a Cicerone *de Fin*. III, 22. trium fuisse pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister. Crudelitatem exagitat etiam Plut. *Comp. Nic. et Crassi* c. 1.

Serv. lacum. Videtur hunc locum imitatus Jul. Firmicus Maternus *Mathes*. l. I: „ Visne aliquid tibi, quia in Julianis temporibus versamur, de lacu Servilio referam? in quo multorum senatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris sectis cervicibus pependerunt." Quibus verbis memoratis *Doct*. Matthiae *ad* Cic. *pro Rosc. Am*. 32, ita porro, quid sit lacus, explicat:

 „ La-

„ *Lacus* autem vocantur aquarum publicarum ex aquae ductibus receptacula (Vitruv. 8, 7), quales *sternendos lapide* a. u. 870. M. Porcius Cato et L. Valerius Flaccus censores locaverint. Liv. 39, 34. Frontinus de aquaed. 78. summam ejusmodi lacuum colligit ad 591. A solo Agrippa 700 factos memorat Plin. *H. N.* 36, 15."

spoliarium. In hac antiquitatis parte non convenit Mureto cum Lipsio. Secundum illum spoliarium locus erat, ubi damnati ante supplicium exui solebant, quippe spolia dicerentur ea, quibus induti essent, cum ad supplicium ducerentur. Magis tamen placet sententia Lipsii: „ Sumit ab Amphitheatris et re gladiatoria. Nam ibi *spoliarium*, arenae adnexum, in quo exui gladiatores, ipsi laesi aut caesi trahi eodem solent. Quia igitur ad lacum Servilium aut caesi multi, aut capita ibi exposita; spoliarium id Sullanum vocat. Vide me Saturnal. I. cap. XVIII."

passim — greges. Florus III, 21. §. 25: „ quis autem illos potest computare, quos in urbe passim, quisquis voluit, occidit?"

senat. capita. Lips. *ann. ms.* „ Senatores XL, Equites MDC." Ex Appiano B. *Civ.* I. *p.* 409. *ed. Steph.*

multa — trucidata. Pertinere videntur ad nefariam dediticiorum caedem in circo Flaminio, vel secundum alios in villa publica, de quo consulantur *Interpr. ad* Flor. III, 21. §. 24. Detestatur idem *de Clem.* I, 12: „ quis tamen unquam tyrannus tam avide humanum sanguinem bibit, quam ille, qui septem millia civium Romanorum contrucidari jussit?" *de Benef.* X, 16: „ legiones duas quod crudele est, post victoriam; quod nefas, post fidem, in angulo congestas contrucidavit." Ceterum et in numero discrimen. Lips. ad locum *de Clem.* „ Valde dissentiunt in numero. Alii ad *quatuor millia* tradunt: ut Florus, ut Dionysius Halicarnassaeus (fidus auctor) fine libri V. Credo et Valerium sic scripsisse: in quo tamen falso *quattuor legiones* legas, libro IX. cap. II. Panegyricus Constantino dictus non abit, qui *deditam exarmatamque legionem* trucidatam scribit. At noster libro *de Benef.* V. *cap.* XVI. *legiones duas* dicit, convenienter cum hoc *septem millium* numero, quem et Firmicus firmat lib. I. *septem millia civium in medio sinu urbis, Sullana animadversione ceciderunt.* Livius autem in Epitoma, VIII *millia*; Plutarchus, *sex*: quem om-

omnino vide, ipsa ista Senecae verbatim poene exprimentem." Ruhkopfio videtur ob hancce convenientiam ex eodem fonte, quo Seneca, Plutarchus hausisse.

post fidem — fidem. Haec ita distinxerim. *Post fidem* interfecti fuissent illi miseri, si nulla evadendi spe superante, Sylla captis ultro concessisset incolumitatem, idque fide data sanxisset. Nunc autem, cum evadere potuissent, ipsique se dediderint, *per fidem* trucidati sunt, siquidem Sylla potestate per fidem unice sibi data scelestissime abusus est.

8 *felix est.* In superioribus quaesierat: „quid ergo? felicior esset, si" cet. Verum hoc in Sylla ne quaerendum quidem existimat tantumque abesse, ut ista felicior esset Rutilio, ut ne *felicis* quidem nomen, quo gloriabatur, in cum conveniret.

desc. ad forum. Hanc phrasin, ut monuit *Amic.* Sur. explicat *Cons.* Klerk *Dissert. Jur. de* Cic. *Or. pro Caelio p.* 65, ubi docet Ciceronem *de Or.* II, 66. et *ad Att.* I, 13. dixisse *descendere in forum.* Vid. etiam Gron. *Observ.* III, 12.

gladio subm. Lips. „Non virga lectoris, ut solet, et scripsi in Electis. Indicat autem Satellitium habuisse Sullam et milites ante et post comitantes, qui populum submoverent." Fuit hoc igitur et superbiae tyrannicae et metus documentum.

capita sibi — appendi. Parum idonea videtur interpretatio Lipsii: „supra Servilium lacum affigi." Locum sic potius intelligo, Syllam, id quod in Gracchi caede fecerat Opimius, consularium virorum interfectoribus praemii loco tantum auri pondus tribuisse, quantum esset capitum pondus.

pretium caedis. In singulos duo talenta, ut e Plutarcho notarunt Interpretes.

per — tabulas publ. numerat? i. e. *in tabulas publicas expensi refert.* Lipsius: „Valerius: *quatuor millia* (verius fortasse: *duo millia*, ex aliis) *et septingentos dirae proscriptionis edicto jugulatos in tabulas publicas retulit, videlicet ne memoria tam praeclarae rei dilueretur.*" Locus est IX, 2. ex. 1.

legem Corn. tulit. Lips. „Postea nempe, in Dictatura." Dubitat Ruhk. utra lex intelligenda sit, *de Sicariis* „an *Majestatis*, in eum, qui majestatem populi Rom. minuisset." Illud unice

 pla-

placet Lipsio, qui addit ipsum sicariorum caput fuisse, nec auctorem solum caedium, sed etiam exactorem. Verum haec quoque commode videtur intelligi posse; quaecunque enim recensuerat, intolerabilem testabantur populi despicientiam, qualem Sylla non factis solum, sed et vocis insolentia declaravit. „ Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet et bonorum virorum, et locupletium, et certe civium, praedam se suam vendere." Verba sunt Ciceronis *de Off.* II, 8.

Regulum. Itaque nec Seneca fictam credidit historiam Reguli, non magis quam Mucii, Fabricii, ceterorum. Et hic omnium scriptorum Latinorum in ipsa re consensus, licet in supplicii modo varient, validum mihi argumentum videtur, quod haud ita facile Palmerii rationes infringant. — Regulum, ut ait *Epist.* LXXI, 17, nemo, ne ex mollissimis quidem infelicem dicere ausus est: „ negant enim illum esse beatum, sed tamen negant miserum."

reclinavit. Hoc verbum, ut indicavit *Amic.* Sur. de corpore posuit et Cic. in *Arateis vs.* 417:

„ At Cepheus caput atque humeros, palmasque reclinat."

9 *hoc pretio aest. virt.* Eadem utitur metaphora *Nat. Q.* IV. *praef.* §. 14, 15, ubi dicentem fecit Lucilium: „ Periculis meis major, paratus ire in ea, quae minabantur, egi gratias fortunae, quod experiri voluisset, quanti aestimarem fidem. Non debebat mihi parvo res tanto constare."

Feliciorem. Simile fuit judicium Ciceronis *de Fin.* II, 20, Regulum tum ipsum, cum vigiliis et fame cruciaretur, feliciorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium Lanuvinum. Idem *Parad.* II: „ Nec vero ego M. Regulum aerumnosum, nec infelicem, nec miserum unquam putavi. Non enim magnitudo animi ejus excruciabatur a Poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse: qui tot virtutum praesidio, tantoque comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit." Quo loco *Doct.* Borgers jure mihi tueri videtur receptam lectionem *caperetur*, *capi*, sollicitatam a *Cl.* Wyttenb. qui substitui volebat *carperetur*, *carpi* ob antecedens *excruciabatur.* Sed ad propiora *praesidium* et *comitatu* magis profecto accommodata notio *capiendi.*

Ma-

Maecenatem. De eo deque Senecae in eum sententia docte commentatus est Ruhk. *ad Epist.* CI, 10. CXIV, 4.

am. anxio. Lips. „Uxoris, quam amabat, nec fortasse solus. Caesarem Augustum ea suspicione aspergit Dio; *quod creditus Gallicanam peregrinationem suscepisse, ut liberius, et procul a vulgo sermonibusque, frueretur Terentia Maecenatis:* libro LIV. Itaque non injuria anxius Maecenas; sed et Caesari, ob hanc causam, occulte infestus, quod idem scriptor libro LV. tangit in Maecenatis obitu. Potest tamen [et hoc mihi probabilius] angorem hunc fateor, etiam alio referre, et ad nudum ipsum amorem, qui semper querulus et anxius praesertim ubi non respondetur." Cecinit hoc Ov. *Her.* I, 12.

„Res est solliciti plena timoris amor."

Fuit igitur Maecenas ex altero istorum generum, de quibus *Epist.* LXXIV, 2: „illum videbis alienae uxoris amore cruciari, illum suae."

quot repudia. Idem affert *Epist.* CXIV, 7: „Hunc esse, qui uxorem millies duxit, cum unam habuerit?"

somnus. Quibusdam perpetua febris est, sicut C. Maecenati. Eidem triennio supremo, nullo horae momento contigit somnus." Haec Plin. *H. N.* VII, 51; neque tamen ex his verbis efficitur, quod voluit Ruhk. febrim illam perpetuam insomniae causam Maecenati fuisse.

aquarum. „cubiculis interfluentium," ut ait *Epist.* c. 5. Hoc de incredibili Romanorum luxu porro afferuntur a Ruhk. *de Tranq. an.* I, 5, *Nat. q.* III, 17, ubi et alia quaedam annotavit.

in cruce. Maxime placet explicatio Gronovii, *crux* et h. l. et *Epist.* XCVIII, positum esse pro ipsa illa machina lignea clavis intrinsecus horrente, cui Regulum indiderant. E locis ad hanc significationem adstruendam a Gronovio advocatis praesidii plurimum in verbis Junii Bassi ap. M. Sen. *Controv.* L, 3; „Nihil putabam amplius adjici posse, audaciae istius, quam quod in illa cruce Vestam nominaverat." Dictum autem Cyneae ap. Plinium frustra videtur allatum, quippe de vera cruce intelligendum.

a patientia. Graeci dicerent: ἀπὸ τοῦ πάσχειν. Eodem sensu *patientia* legitur intra IV, 12. Tota phrasis *ad c. a. p. r.* hoc va-

valet; inter patiendum oculos non defixos tenet in ipsis aerumnis; sed animo reputat, quam ob causam patiatur. Ita *de Benef.* I, 13 §. 2: „ad socium honoris sui respexit a dantibus." Hujus autem cogitationis magnam esse vim ad dolorem leniendum agnoscit etiam Cato ap. Cic. *de Tim.* III, 14: „Etenim si dolores eosdem tolerabilius patiuntur, qui excipiunt eos pro patria, quam qui leviore de causa; opinio facit, non natura, vim doloris aut majorem, aut minorem."

marcidum. *Lyis. ann. ms.* „fractum et languentem."

fel. nim. lab. Hunc morbum uberius describit infra IV, 6—10.

causa patiendi; nempe mollities animi sui, viro indigna, quam cum cogitat, sui ipsum gravissime poeniteat necesse est.

10 *Non usque eo* cet. Amat hanc formam; sic enim in contrariam partem dicit *Nat. q.* IV. *praef.* 8: „Eo enim jam dementiae venimus, ut qui parce adulatur, pro maligno sit."

elect. fati data. Ita Lucilio fati electionem proponit *Epist.* XCVI, 3: „Ipse te interroga, si quis potestatem tibi Deus faciat, utrum velis in macello vivere, an in castris." Ciceronis fortasse, cujus libros ad philosophiam pertinentes cum laude memorat *Epist.* c. 8. vestigiis institit. Is enim *Tusc.* V, 23; „Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est, cum humanitate, et cum doctrina habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit, quam illum tyrannum?" *Parad.* I, 3: „jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint."

Socratem. Hujus corpus, non ipsum ab Atheniensibus male habitum esse docet Epict. *ap.* Arr. I, 29. *p.* 153. Morituri tranquillitatem cognoscas etiam ex Ael. *V. H.* I, 16.

medicam. immort. Fortasse cogitavit de Medeae medicamine, quo senibus restituebatur juventus, ut refert Ovid. *Metam.* VII, 160. *sqq.*

ipsam. Pronomen hujusmodi stili ornamentis appositum. Sic infra IV, 11: „Praebendi fortunae sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur."

11 *gemma*, i. e. *poculis gemmeis.* Simili forma dicunt *auro bibere*, ut Sen. *Hippol.* 518. *in rosa potare* pro *sertis roseis coronatum.* Hoc de gemmarum usu apud Romanos Lipsius alia cum Senecae, tum Ciceronis ac Plinii loca congessit ad h. l.

nivem diluit. Vino nivem diluebant, ut frigidius illud fieret. *Epist.* LXXVIII, 22. Qua de re docte commentatus Jos. Laurentius *Polym.* II, 9. *p.* 105. *sq.* Fortasse nix ideo dicitur auro suspensa, quia poculo gemmeo intrinsecus obducta esset lamina aurea.

remetientur. Verbi vis haec esse videtur: *eadem mensura reddent.* Itaque vide, ne minus recte Mur. *ad h. l.* illud substituat ap. Hieronymum *adv. Jovinianum l.* II. ubi vulgo legitur: „Multi impatientiam gulae vomitu remediantur, et quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt."

bilem suam regustantes, i. e. *cibum, quem jam semel gustarunt, in bilem conversum iterum gustantes.* Similiter e vino immodice sumto bilis efficitur. *Nat. Q.* IV, 13. §. 5: „ubi ebrietas continua visceribus insedit, et praecordia bile, in quam vertitur, torret."

Catonem. Fusior hujus viri malorum enumeratio constantiaeque laus habetur *Epist.* CIV, 29. *sqq.*

rerum natura. Lipsii et Ruhkopfii sententia, Deum intelligi, vel inde probabilis, quod simile quid Deo tribuitur supra II, 5. Hoc Stoae placitum explicuit *Doct.* Mart. *Disp. de Corn. p.* 59. 60. Locum *de Ben.* IV, 7. Lips. quoque *ann. ms.* memorat ubi plura dederunt *Interpr.* Haud minoris ponderis esse videntur illa *c. sq.* §. 2: „Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturae, quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura; sed idem est utrumque, nec distat officio. Si quid a Seneca accepisses, Annaeo te diceres debere," cet. Simili sensu ab Anton. II, 11. dicitur „ἡ τῶν ὅλων φύσις."

12 *Inimicitiae* cet. Similis interrogationum cumulus est *de Brev. vit.* XVII, 3, 4.

Pomp. Caes. Alibi solos hos a Catone provocatos esse scribit, ut *Ep.* XIV, 11: „qui aliis Pompejum offendentibus, aliis Caesarem,

simul lacessit duos." De Pompejo vid. Plut. *Cat. min.* c. 45. p. 181. sq. de Caesare c. 51. p. 187. sq.

Vatinio postferatur. Pompejo et Crasso coss. A. U. 699. cum Cato praeturam peteret, cujus auctoritate subnixus validius illorum conamina reprimeret, jamque praerogativa suffragia tulisset, Pompejus tonitru audiri fingens comitia dimisit. Deinde turpissima largitione factum est, ut Vatinius eligeretur. Rem narrat Plut. *Cat. min.* c. 42. p. 176. sq. *Pomp.* c. 52. p. 124. sq. Qualis autem fuerit iste Vatinius, e Ciceronis oratione cognoscimus, ubi c. 1. dicitur is, „ quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet." A quibus non abludunt illa Senecae *de Const. sap.* XVII, 3: „ Vatinium, hominem natum et ad risum, et ad odium." Idem *Epist.* CXVIII, 4: „ Quanti animi res est, solum nihil petere, nulli supplicare, et dicere: Nihil mihi tecum, fortuna: non facio mei tibi copiam. Scio apud te Catones repelli, Vatinios fieri: nihil rogo." Parem oppositionem inducere voluere Viri Docti in Mamertini *Gratiarum act. ad Julianum* c. 19. (*Paneg. vet.* p. 721. *ed. Arntz.*) quem mihi locum indicavit *Amic.* Suring. est autem hujusmodi: „ sine dubio intelligitur, eum suffragiis populi magistratum capere, quem plures, id est, quem pejores probarunt. Unde factum est, ut majores nostri viderent Gabinios designatos, et repulsos Catones." Illic igitur Lipsius, Livinejus, Gruterus, Acidalius, Bauneus et Cellarius pro *Gabinios* substituendum censent *Vatinios*: unus Jaegerus memoria lapsum putat oratorem, quod et mihi videtur in tanta et nominum et morum similitudine facile fieri potuisse. — Cato autem „ eodem, quo repulsus est die, in comitio pila lusit." *Epist.* CIV, 33: id quod acute dicto locum praebuit *Epist.* LXXI, 11: „ Quo die repulsus est, lusit; qua nocte periturus fuit, legit." Aliter tamen Caesar *de B. civ.* I, 4: „ Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant, et dolor repulsae."

Grave est — interesse? Potuisset huic quaestioni reponsum peti ex *Epist.* CIV, 29: „ Tota illi aetas aut in armis est exacta civilibus, aut in aetate concipiente jam civile bellum."

toto terrarum orbe. Per amplificationem dicuntur: attamen tabulas geographicas ad Plutarchi narrationem adhibenti facile patet, ingens

gens maris ac terrae spatium Catonem militando peragrasse. Primum enim ad Pompejum venit Dyrrhachium; inde Rhodum profectus insulae cives ad illius partes adduxit. Dyrrhachium reversus, mox post cladis Pharsalicae nuntium Corcyram venit, ubi classis erat, neque ibi diu moratus est. Adriatico enim et Mediterraneo mari trajecto Cyrenen appulit, unde per Africae deserta copiis ductis a Juba receptus est, ac tandem Uticae custodiendae praepositus.

infeliciter. Scribit Plut. *Cat. min. c.* 51. *p.* 190, hoc ipsum Catoni perturbationem quandam ac dubitationem de numine Deorum attulisse, quod videret Pompejum, qui in bellis injustis felicissimus fuisset, nunc cum patriam servare libertatemque defendere vellet, adversa cum fortuna colluctari.

pertinaciter. Suam ipse pertinaciam hac in re Cato laudans inducitur *Epist.* XXIV, 7: „Non pro mea adhuc, sed pro patriae libertate pugnavi: nec agebam tanta pertinacia, ut liber, sed ut inter liberos viverem."

quid per hoc cons. Amat hanc formam: ita *Cons. ad Helv.* II, 2: „Quid consequar? ut pudeat animum" cet.

ut omnes sciant. Hanc rerum adversarum bonis viris immissarum utilitatem in alios redundantem ex professo illustrat infra *c.* V.

CAPUT IV.

1 Jam exemplis absolutis in re, quam proposuit, adstruenda pergit, pro ipsis bonis viris esse, quod malis afficiantur, idque, ut mihi videtur, duplice demonstrat argumento. Disputatio prior, incitata illa multisque orationis luminibus interstincta, potissimum in eo versatur, *quod calamitas virtutis sit occasio, qua demum elucescat, et quanta sit appareat.* Desinere videtur haec pars in illis verbis (§. 11.) „nunquam virtutis molle documentum est." Sequentia disputationem ordiuntur alteram, pertinentem ad finem capitis, qua hoc agit, *rebus adversis virtutem exerceri eoque ipso corroborari atque augeri.*

plebem, i. e. vulgus hominum, nil magni sentens. Ita „sine nomine plebem." Virg. *Aen.* IX, 343.

terroresque mortalium. Laudabant veteres Stoici Ulyssem et Herculem,

lem, „ invictos laboribus, contemtores voluptatis, et victores omnium *terrorum*," ut *de Const. Sap.* II, 1. ex emend. Lipsii legimus pro antiquo *terrarum:* ubi noster locus a Lipsio potuisset in subsidium advocari. Sententiam protulit eandem *Herc. fur.* 435:

„ Virtutis est domare, quae cuncti pavent."

sub jugum mittere. Boëtius hoc appellat: *fatum superbum sub pedibus dare*, pulchris versibus *Cons.* I, 8.

Semper — partem. Haec peculiariter de viris magnis dici videntur: villum ingeniorum felicitatem perpetuam tangit infra §. 7, VI, 3, 4.

morsu. Scriptori nostro *morsus* levius quid, quam *dolor.* Sic *Epist.* XCIX, 13: „ Non est dolor iste, sed morsus: tu illum dolorem facis."

unde scio — virtutis? Nam, ut ait Epict. ap. Arr. I, 24. *p.* 121: „ αἱ περιστάσεις εἰσὶν, αἱ τοὺς ἄνδρας δεικνύουσαι," ad quem locum Upt. hos affert elegantes Ovidii versus *Trist.* IV, 3. *vs.* 79, 80:

„ Quae latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis."

2 *Olympia* scil. *certamina.* Per eandem ellipsin Enn. ap. Cic. *de Sen.* 5:

„ Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit."

coronam. Ruhk. coronam intelligit, qua decorati certaturi in arenam prodirent. Sed ut omittam, hoc in solis certaminibus musicis moris fuisse videri, loci nexus alio ducit. Nempe si unus tantum athleta certamini nomen daret, quod licet in tanto Graecorum studio nunquam factum sit, fingi tamen potest, illum igitur unum coronam accipere par erat isti certamini propositam. Itaque coronam habebat, victoriam rem recte aestimanti, non habebat, quippe qui neminem vicerat. — Paulo aliter intelligenda comparatio Demophili *Simil. p.* 26: „ Ἡ τύχη ἔοικε φαύλῳ ἀγωνοθέτῃ· πολλάκις γὰρ τὸν μηδὲν πράξαντα στεφανοῖ." Ubi non agi videtur de athleta nullum adversarium habente, sed de eo, qui male certasset, et nihilominus agonothetae favore praemium acciperet.

cons.

cons. pret. adepto. Illa aetate magistratus a Caesare delati minus etiam, quam antiquis temporibus, haberi poterant virtutis indicia.

honore auctus es, i. e. *honos sive munus tibi datum est.* Alio sensu verba juncta videas in illa, quae Ciceroni tribuitur, *Orat. de Harusp. resp.* 26: „Hi ne honore augeantur, monemur," id quod in ipso responso sic enuntiatum erat: *ne iis honor augeretur.*

diff. casus. Lips. *ann. ms.* „tristior aliqua fortuna."

una. Rubkopfianam interpretationem dedi in *Not. crit.* Nempe separavit Seneca, quae saepe copulata leguntur, *nullus unus*, ut ap. Cic. *Brut.* 59: „nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia."

fuisti. *Fueris* legitur in Sen. ac P. Syri *Sent. num.* 416:

„Miserum te judico, quod nunquam fueris miser."

Praestare tamen videtur indic. quamquam conjunctivum inde quis defendere possit, quod in verbo *judico* lateat accus. cum infin. — De sententia cf. Demetrii dictum supra III, 3.

3 *Nemo — potueris.* Vere dicit, „cum dubiae sint vires inexpertae," ut est *de Const. sap.* III, 5. cf. et *Epist.* XIII, 1.

quod quisque. Cum editiones antiquae, Lipsii, Schotti, *Lovaniensis* habeant *quid*, cumque in eadem structura paulo ante fuerit, *quid potueris*, equidem facile Bergmanno meo assentior, illud praeferenti. Sic etiam in Sen. ac Syri *Sent. vs.* 617:

„Quid quisque possit, nisi tentato, nescit."

Ubi frustra Grut. corrigere videtur *tentando.* Nam et alterum bene dicitur pro *postquam tentaverit*, ut *auspicato*, *consulto* similiaque. — Ceterum cf. loca illic a Grut. allata.

quidam, ut Hercules, hasce preces concipiens in *Herc. fur.* 937. sqq.:

„Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet: et si quod parat
Monstrum, meum sit."

virtuti — obscurum. Exemplum si quaeris, Achillem cogites in Lycomedis aula delitescentem. De phrasi, quae legitur et infra V, 7, vid. *Int. ad* Flor. II, 4. §. 2.

Gaudent — adversis. Stobaei de Diogene locum, quem post

Lipsium Ruhk. attulit, neque ipse lectoribus invidebo. Sic igitur legimus p. 841: „ Διογένης περιπεσὼν ἔν τισι συμπτώμασιν ἔλεγεν εὖ γε, ὦ Τύχη, ὅτι μου ἀῤῥένως προέστηκας. Ἐν δὲ τοῖς τοιούτοις καιροῖς καὶ τερετίζων ἀνεφώνει. Similis est adhortatio Jacobi Apostoli *Epist.* I, 2: „ Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε, ἀδελφοί μου, ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις."

non aliter — bellis. Eadem usus est comparatione Boët. *Cons. p.* 128: „ ita vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunae certamen adducitur, ut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus."

Triumphum — perit! Simile quid de Neronis gladiatoribus refert Epict. ap. Arr. I, 29. *p.* 157 *sq.* qui locus totus dignus est, qui cum hocce comparetur.

Avida est per. virtus. Merito est avida: siquidem vere Pindarus cecinit *Ol.* VI, 14. *sqq.*

„ ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ
Οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις
Τίμιαι."

Ad quem locum *Doct.* Karsten (*Specim. Pind. Traj. ad Rh.* 1825) praeclaros attulit Simonidis versus ex *Anal. Brunck. t.* I. *p.* 123:

„ οὐδὲ πάντων βλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος,
ὦ μὴ δακέθυμος ἱδρὼς ἔνδοθεν
μόλῃ, ἵκητ' ἐς ἄκρον ἀνδρείας."

Praeclara quoque Catonis vox ap. Lucan. IX, 402. *sqq.*

„ serpens, sitis, ardor, arenae
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.
Laetius est, quoties magno sibi constat honestum."

Mil. viri. Cave ne simpliciter *milites* intelligas. Eosdem significat, qui Sallustio *B. Cat.* 45. dicuntur *homines militares*, quam dictionem ita Cortius explicat: „ magnum militiae usum habentes, exercitati in rebus bellicis." Et hanc interpretationem veram esse patet e loco Livii XXXV, 26: „ Nihil ea res animum militaris viri, et multos experti casus imminuit."

mel. casu. Rarioris hujus dictionis patefaciendae causa Gronovii notam adscribere profuerit: „ Non capio, magis, si *caussa* rescri-

scribamus, inquit Lipsius. Ego sic minus: sed *fluentem meliori casu sanguinem* scio esse ictum non mortiferum, non corpus mutilaturum, nec spem curationis haud aerumnosae adimentem: qui magis honori sit, quam damno aut dolori. Unde Galli appellant *un coup d'honneur.* Epist. 9. *Detrahit amicitiae majestatem suam, qui illam parat ad bonos casus.* Ubi perperam Muretus recidit τὸ *bonos*, Opsopoeus commutavit in *novos.*"

Idem licet — saucius redit. Similiter *Epist.* LXVI, 47: „Aeque fortis esse potest, qui pro vallo securus excubuit, nullis hostibus castra tentantibus: et qui succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit. Macte virtute esto, sanguinolentis et ex acie redeuntibus dicitur." Est hic unus ex iis locis, quibus nititur opinio proposita *Praef. p.* 14. *not.* 23.

5 *Ipsis, inquam — difficultate.* Prisca gravitate rem eandem civis noster docuit, multis ipse periculis et laboribus exercitatus, Grotium dico, cujus haec sunt verba in *Dedic. libri de Antiquit. reip. Bat.* „Bis successus adfuit, ad stuporem usque humani generis, auctaque cum bello fama et opes, ut ferme quos magnae claritati Deus destinat, eos per labores et pericula praetentat."

quos — cupit. Simile quid habuimus supra II, 5.

ad quam rem. Nimirum ut bonis viris materia praeberi possit aliquid animose fortiterque faciendi. Paulo ante in eandem fere sententiam dixerat: „Opus est enim ad notitiam sui experimento."

Gubernat — intell. Verbum *intelligere* eodem sensu ponitur *de Tranq. an.* VII, 3: „Utraque enim turba opus erat, ut Cato posset intelligi." Ad quem locum vid. *Doct.* Hirschig *p.* 133. Cum sententia cf. *Cons. ad Marc.* V, 4: „Simul cogita, non esse magnum, se rebus prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita procedit: nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare et obsequens ventus ostendit: adversi aliquid incurrat oportet, quod animum probet." Ubi similia quaedam Rubk. affert Sotionis, ejusdem fortasse, quem Seneca praeceptorem habuit. Ceterum et hoc et alias libelli nostri partes feliciter imitatus est Erasmus *Dedic. Op. Hieronymi ad Leonem* X: „Neque vero mediocriter illustravit laudum tuarum decus illa Fortunae saevientis iniquitas, quae

quae sane Superûm consilio videtur incidisse, quo nimirum animi tui genuina virtus, velut aurum igni exploratum, spectatior mortalibus evaderet. Egregium nempe nauclerum adversa tempestus arguit. Insignis sculptor quo duriorem ac minus obsequentem nactus est materiam, hoc majus artis suae miraculum praebet."

paupertatem. His singulis calamitatum generibus propriae consolationes erant a veteribus assignatae. Cic. *Tusc.* III, 34: „Sunt enim certa, quae de paupertate, certa, quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant. Separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae" cet.

si div. diff. Sunt fortasse, quos hoc legentes exclamare subeat:

„Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum."

Siquidem ipse fuit ditissimus. Verum hoc loco Seneca paupertatem bono viro utilem esse judicat, quippe quae animi ostendendi praebeat occasionem, non culpat divitias. Has sapienti spernendas et abjiciendas esse nusquam docet: contrarium egregiis rationibus adstruit *de Vita b.* XXI. *sqq.*

inexp. i. e. *qui nullis neque fortunae casibus neque invidorum calumniis cedit.* Miror hoc Lipsio non satis convenire videri.

sustulisti, i. e. *procreasti*, ut infra V, 4: „illos vobis sustuli." Et plerumque quidem hoc verbum, adjuncto *liberos*, ita videtur intelligendum, exceptis tantum iis locis, ubi de parentum alterutro recentem prolem tollente diserta mentio fuit.

Audivi te cet. Videtur hic potius acutum quoddam dictum venari, quam certum ipsius Lucilii factum respicere. Similem autem Demosthenis reprehensionem alicubi me legere memini, quod ille, cujus eloquentissima esset ad alios oratio, secum ipse loqui negligeret.

tunc conspex. i. e. *tunc oportuerat me te conspicere.* Sic Virg. *Aen.* IV, 678 *sq.*

„eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset."

Similis est vis imperfecti, ut ap. Cic. *pro Sext.* 24: „Quod si meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo commoverentur," i. e. *commoveri eos oportuerat.* Et huc fortasse referri possit locus Sen. *de Ben.* II, 11. §. 1: „semel in triumpho ductus essem"

sem" pro *ducendus fuissem*, *hoc praestitisset*. Item de re praesenti vel futura, veluti Virg. *Buc.* X, 42. *sq.*

„Hic gelidi fontes; hic mollia prata, Lycoris;
Hic nemus: hic ipso tecum consumerer aevo."

Calam. virt. occ. est. Legitur in Sen. *ac* P. Syri *Sent. vs.* 185:

„Et calamitas virtutis est occasio."

ubi Grut. Ovidii versus attulit aptissimos:

„Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est."

Illos — torpescunt. Similia vidimus supra III, 3. IV, 2.
tranquillitas. Lips. „Malacia," respiciens *Epist.* LXVII, 14: „Hoc loco mihi Demetrius noster occurrit, qui vitam securam et sine ullis fortunae incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denuntiatione et incursu firmitatem animi tui tentes; sed in otio inconcusso jacere: non est tranquillitas; malacia est." Liceat hic recentioris Poëtae versus afferre, quem ut Germani in poëseos suae statoribus celebrant, ita nobis nostrae laudatorem aequissimum et Hugoni Grotio familiaritate junctum amare fas est. Sic igitur Opitzius in carmine, quod inscribitur *Vielgut*, unde protulit *Doct.* Kampenius *Enchir. Lit. Germ.* t. I. p. 39. *sq.*

„Ein Leben das von Noth, von Creutze nicht kann sagen,
Dem alles auf der Welt ergehet nach Behagen,
Ist wie ein todtes Meer, das ganz steht unbewegt,
Und niemals an das Land mit seinen Wellen schlägt,
Ein Fechter fordert aus, ein Landsknecht liebt das Kriegen,
Ein weiser Mannes Muth will über Unglück siegen,
Begehrt den Feind zu sehn; er steht, wann alles fällt,
Und schlügen schon vielleicht auch Stücke von der Welt
Auf seinen Halsz herab; er kann mit grossen Hertzen
Vernichten Furcht und Trost, zertreten Noth und Schmertzen,
Stirbt ab der Sterblichkeit, ist seines Lebens voll,
Und hoffet auf den Tag, an dem er wandren soll."

In quibus sapientem Stoïcum effictum diceres, nisi fundamentum ejus constantiae melius atque firmius ita pergendo Poëta significaret:

„ Und solches kommt daher, dass diese trübe Höle,
Diesz Sündennest, der Leib, an seiner reine Seele
Die minsten Kräfte hat, der Seele, welcher Glut
Nach ihrem Himmel steigt, wie sonst ein Feuer thut,
Das freye Luft bekömmt; die nicht ihr Gut aus Sachen
Erzwingt, so sterblich sind, und gleichfalls sterblich machen;
Die alles Gut und Lust nur in sich selber sucht,
Da Freuden ohne Leid, und Reichthum ohne Flucht
Beständig wohnen kann: die ihren Heyland kennet;
Die hertzlich Tag und Nacht für seiner Liebe brennet,
Mit ihm sich gantz vergnügt, und jetzt schon zu voran,
Woraus sie kommen ist, im Himmel wohnen kann."

7 *inciderit.* Exquisitius dici videtur, quam *acciderit.* Usurpat et infra VI, 4, 5. Ita Cic. *de Fin.* III, 8: „ nihil mali posse incidere sapienti."

Magis — inexpertos. Exemplum hujus rei Plut. habet in *Timol.* XXVIII. *p.* 34, scribens horrendos illos imbres et fulmina maxime vexasse τοὺς ἀπείρους. In eandem sententiam supra II, 4: „ Non fert ullum ictum illaesa felicitas." Sen. *ac* P. Syri *sent. vs.* 251:

„ Gravius nocet, quodcunque inexpertum accidit."

Ubi commode Grut. haecce laudat Eurip. *Hel.* 425. *sqq.*

„ ὅταν δ᾽ἀνὴρ
πράξῃ κακῶς ὑψηλὸς, εἰς ἀηθίαν
πίπτει κακίω τοῦ πάλαι δυσδαίμονος."

Multum quoque et cum hoc, et cum aliis Senecae locis conveniunt illa Boëtii *Cons.* II. *p.* 33: „ Adde quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est, et, nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur; adeo perexigua sunt, quae fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt." De peculiari quodam incommodi genere, quod et supra Seneca memoravit, idem affirmat Appul. *p.* 305: „ Enimvero bonus et innoxius quisque rudes et imperitas aures ad male audiendum habens, et laudis assuetudine quanto contumeliae insolens, multo tanto ex animo laborat, ea sibi immerito dici, quae ipse possit aliis vere objectare."

Ad susp. — sanguinem. Eadem utitur comparatione Sen. *Cons. ad Helv.*

Helv. III, 1; eadem, sed ornatius Cic. *Tusc.* II, 16: „Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, concursus, clamor? quanti laboris est! ex hoc ille animus in proeliis paratus ad vulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem; mulier videbitur" cet. Alio sensu verum est proverbium, ὅτι ἀπείρῳ γλυκὺς ὁ πόλεμος, de quo vid. Erasm. *Ad. p.* 295.

pallescit, prae metu. Solebat quidem Cato Censorius dicere, se malle rubentes milites quam pallentes, ut refert Plut. *de Aud. poët. p.* 29. D, tribusque aliis locis excitatis illic a *Cl.* Wyttenb.

audaciter. Priscianus *l.* XV. *c. de Adverbio*: „*Audax*, *audaci*, *audaciter*, sed per syncopen in usu est frequentiori *audacter*." Quin hoc adeo frequens fuit, ut ipsi oratores plerumque quidem usurparent: aliquando tamen, sive priscam quandam captantes elegantiam, sive numero servientes dixisse reperiuntur *audaciter*. Neque enim quae exempla e Tullii proferuntur orationibus, ea librariis imputanda dixerim, ut Vossio (*Etym. V.*) visum est ob locum Quintiliani I, 6. §. 17: „Inhaerent quidam molestissima diligentiae perversitate, ut *audaciter* potius dicant quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur." Potuit ita scribere Quint. etiamsi paucis quibusdam locis verbum plenum inveniretur. *Plenum* enim *verbum* hoc sensu dicit Cic. *Or.* 47, cujus tota de hoc argumento disputatio inde *a c.* 44. lectu est dignissima. Jam ejus aetate fuere, qui nimis morosi analogiam linguae mordicus tenerent, consuetudinem spernerent. Ait enim *l. c.* „Quid, quod sic loqui, *nosse*, *judicasse*, vetant; *novisse* jubent, et *judicavisse*? quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate." Formae *audaciter* exempla collecta videas a Gesnero *Thes. ling. Lat. tom.* I. *p.* 527, cujus diligentiam effugisse miror locum Cic. *de Sen.* 20: „qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret."

cruorem suum spectat. Hujus loci comparatio Lipsio causa fuit approbandi veterem lectionem *Epist.* XIII, 2: „qui vidit sanguinem suum." Vulgo edebatur „fudit."

Hos — exercet. Simile quid habuimus I, 6. Milites cum recognoscuntur, exerceri solent: hinc eadem fere utrique verbo significatio

molles. Opponitur antecedenti verbo *indurat.* Hos Deus perpetua felicitate liquefieri sinit, ut malis venturis eo gravius opprimantur. *portio*, i. e. *sors fato destinata*, *pars malorum fatalis*, quo sensu μοῖρα dici videtur in *Pythag. aur. carm. vs.* 17, 18:

„ Ὅσσα τε δαιμονίῃσι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν,
Ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, πράως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει."

Ceterum idem aliis verbis docetur in Sen. *ac* P. Syri *sent. vs.* 114:

„ Casus quem saepe transit, aliquando invenit."

Effati veritatem insigniter comprobavit exemplo suo Polycrates, ut est ap. Herod. III, 39. *sqq.* Hinc „ In secundis nemo confidat," ut ait *Nat. Q.* III. *Praef.* 7. Quibus quid similius, quam haec e *Thyeste vs.* 613. *sqq.*

„ Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis [f. *lapsus*].
Miscet haec illis prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventeis,
Crastinum ut possit sibi polliceri,
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat."

Pertinent eodem Horatii versus *Carm.* II, 10. *vs.* 13. *sqq.*

„ Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus."

Lucani VIII, 22. *sq.*

„ sed longi poenas Fortuna favoris
Exigit a misero."

Claudiani *in Ruf.* II.

„ Desinat elatis quisquam confidere rebus,
Instabilesque Deos et lubrica numina discat."

Hinc jure Cic. *Tusc.* II, 14. laudat illa Terentii:

„ Quamobrem, cum secundae res sunt maxime, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant.

Pe-

Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem aut morbum filiae:
Communia esse haec, nequid horum unquam accidat animo novum:
Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro."

8 *similis ign. fleb.* Eadem in *capitis* fine dicit non esse mala, nisi male sustinendi.

Digni — pati. Casaub. *ann. ms.* „ Ea voce utitur Lucas Act. V, 41: „ *ὅτι κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι.*" Simili solatio discipulum suum Epictetus hortatur, ut mori, vinciri, torqueri, exterminari discat, eaque omnia pati „ *θαῤῥουντῶς, πεποιθότως τῷ κεκληκότι σε ἐπ' αὐτὰ, τῷ ἄξιον τῆς χώρας ταύτης κεκρικότι, ἐν ᾗ καταταχθεὶς ἐπιδείξεις, τίνα δυνάται λογικὸν ἡγεμονικὸν, πρὸς τὰς ἀπροαιρέτους δυνάμεις ἀντιταξάμενον.*"

Fugite delicias. Hinc usque ad verba (§. 10), *cruditate dissiliunt*, habetur digressio. Scilicet *humanae naturae* mentione scriptori nata cogitatio videtur de nimia felicitate *sortis humanae* oblivionem inducente.

enervatam, i. e. *propriam hominum enervatorum*, quo sensu Cic. *Tusc.* II, 6: „ enervatam muliebremque sententiam:" IV, 17: „ mollis et enervata putanda est Peripateticorum ratio et oratio." Non igitur opus videtur Lipsii correctione *enervantem*.

permad. Huic translatae dictioni scurriliter indulget Plaut. versibus a Mureto Lipsioque allatis, *Mostell.* I, 2. *vs.* 62. *sqq.*

„ Continuo pro imbre amor advenit in cor meum.
Is usque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum."

nisi — admoneat. Similiter *Epist.* LXXII, 6: „ Aliquando extrinsecus, quo admoneatur mortalitatis, intervenit." *Epist.* LVII, 3: „ admonet illam natura mortalitatis suae." Alexandrum ita vulnus hominem clamavit esse. *Epist.* LIX, 13. Hoc fuit, quod Simoninides praecipiebat Pausaniae: „ *μέμνησο ἄνθρωπος ὤν.*" Aelian. IX, 41.

ebrietate. Commode Lips. haec affert Archytae Pythagorei: „ *οὐ μὰν ἀλλὰ νόσως τε καὶ μείζονας ποιεῖν πέφυκεν ἁ λεγομένα παρὰ πάντεσσιν εὐτυχία, ὥσπερ οἶνος καταμεθύσκουσα τοῖς ἀγαθοῖς τὰν διάνοιαν.*"

9 *Quem — stringet.* Similem Vegetii locum affert Schoonh. *Emblem. p.* 170: „Corpus assuetum tunicae, loricae onus non sustinet; caput apertum linteo, galeam recusat; mollem otio manum durus exasperat capulus."

specularia, lapidis specularis (*Marienglas* hodie dici putat Ruhk.) laminae, quae fenestris inserebantur. Inventum aetate Senecae. vid. *Epist.* XC, 25, ubi plura Lips. et Ruhk.

ab afflatu. Ed. Lovan. et Schott. *a flatu*, primum, ut videtur, omisso altero *f*, hinc vocula proxime antecedenti deleta, quasi supervacua.

vindicarunt. Quod in *Not. crit.* dixi, me praeferre codicis Fabr. lectionem *vindicaverunt*, id revocatum velim: hic enim Sen. sine dubio scripsit *vindicarunt*, ne fieret ὁμοιοτέλευτον cum sequenti *tepuerunt.*

fomenta. Lipsium egregie refellens, eadem opera morem hunc illustrat eximius ille Gronovius ita scribens: „Homines sumus, non Dii. Id adeo in mentem venit hic dicere, quia Lipsius, licet nihil variantibus Pall. cum in uno suo reperiret *segmenta*, cum idem et alter non agnoscerent *subinde mutata*, eo inclinavit, ut satis crederet legi: *cujus pedes inter tegmenta caluerunt.* Oblitus illius de vita beata, c. 11: *Mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus.* Oblitus inprimis eorum, quae scripsit ad Epist. 66, ubi refert ex Athenaei lib. 6. de deliciis et mollitie Paphii cujusdam adolescentis verba Clearchi: *Jacebat quidem ille in lectulo: sed ad pedes lecti sedebat quispiam, qui ejus pedes genibus suis impositos tenui panniculo confoveret.*

temperavit, i. e. *temperatas reddidit.* Morem optime cognoscas ex hac annot. Lipsii: „Seneca epist. XC inter ea, quae sua memoria prodierunt, habet, *tubus parietibus impressos, per quos circumfunderetur calor, qui summa et ima foveret aequaliter.* Apparent et nunc in Thermarum ruinis."

stringet, i. e. *leviter in summa cute tanget.* Ita *de Ben.* II, 6: „gladius idem et stringit et transforat."

Cum — noceant. Lips. „Euripides:

Βροτοῖς τὰ μείζω τῶν μέσων τίκτει νόσους.

Et Plautus Poenulo [I, 2. vs. 29, 30] diffusius:

Mo-

Modus omnibus in rebus, soror, optumum est habitu,
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus."

Addi potest Sen. *Oed.* 909. *sq.*

„ Quidquid excessit modum,
Pendet instabili loco."

Inde celebratum illud *μηδὲν ἄγαν*, cujus dicti varios auctores edit Erasm. *Ad. tit. modestia modusque p.* 507.

felicitatis h. l. subjecti genitivus esse videtur, non objecti. *Felic. int.* i. e. nimia felicitas, ut fortuna quasi modum nesciat. Haec non optanda, imo refugienda est, ut periculi plena. Nobilis in veterum libris sententia. Sic Tantalus ille *καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη.* Pind. *Ol.* I, 88. *sqq.* Scipionis egregie dictum e Panaetio refert Cic. *de Off.* I, 26: „ Panaetius quidem Africanum, auditorem et familiarem suum, solitum ait dicere, ut equos, propter crebras contentiones proeliorum ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus possint uti; sic homines secundis rebus effrenatos sibique praefidentes tamquam in girum rationis et doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunae." Noster *Epist.* XXXIX, 4: „ Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia vitaliaque sunt; at haec eo quod superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: qua non tantum in aliorum injuriam, sed etiam in suam vertuntur."

Movet cerebrum. Eadem est locutio *Epist.* XXXVI, 1, ubi felicitate moveri cerebrum ait „ non uno genere. Alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit et totos resolvit." Item *Epist.* CXIV, 8. de Maecenate: „ motum illi felicitate nimia caput." Sequitur ibi descriptio luxuriae, quam felix ille sibi appetat: quod idem versibus includitur *Hippol.* 204. *sqq.*

„ Quisquis secundis rebus exsultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetit.
Tunc illa magnae dira fortunae comes
Subit libido, non placent suetae dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis cibus."

Plu-

Plura dedit Grut. ad illud in Sen. ac Syri *Sent. vs.* 231:
„ Fortuna nimium quem fovet, stultum facit."

10 *Quidni — rumpi?* In eandem sententiam Lucilio scribit *Epist.* LXXXII, 1: „ male tibi esse malo quam molliter."

quae adv. ad virtutem. Possent in eandem sententiam intelligi, qua supra (§. 6.) memoravit „ ista, quae Dii immortales velut stimulos admovent," dummodo verbum *advocare* eo sensu esset usitatum. Nunc unice placet illa lectio, quam in nonnullis libris inveniri testatur Lipsius; quam et is, qui codicem Fabr. scripsit, habuisse, sed parum intellectam corrupisse videtur: *advocata virtute.* Pulchre dicitur quis infelicitatem sustinere advocata virtute tanquam adjutrice et comite. Sic *de Ben.* VI, 2: „ Licet omnes in hoc vires suas natura advocet, retro illi agere se non licet." Est et alia lectio *advocante virtute*, Lipsio paene probata, qui exponit: „ Sis vel infelix, dummodo virtus tibi advocet ac patrocinetur." Verum ista verbi significatio, qua sit idem quod *patrocinari*, vereor ut ullis certis scriptorum locis adstrui possit. Vid. Gron. *ad l.* I. *de Clem.* 9. §. 8.

rumpi. Genere contingit illam metaphoram qua *tumere successu rerum* dicitur ap. Justin. XXXIX, 2, sed illud majus.

jejunio. Tuendam puto veterem lectionem *jejuno*, quam habent et Edit. Lov. et Paris. ap. Perierium. Neque enim mors per inediam adeo levis esse videtur; sed morte per alium quemvis casum ingruente facilius ille moritur, qui vel pauca vel nihil gustavit. Hoc autem adhibitum, ut opponeretur sequenti *crud. dist.* quam ipsam cogitationem Senecae natam suspicor verbo *rumpi*, ut et Lipsio visum est.

dissiliunt. Gron. postquam Lipsii conjecturam *difficilis* aut *dissimilis* soporem merum et nauseam esse dixit, ita pergit: „ Verissimum, et rei, non sensu tantum, sed et sono convenientissimum vulgatum. Qui ex intemperantia et filia ejus cruditate pereunt, mortem sentiunt toto corpore, membris dissolutis et quasi abjunctis, hoc est *dissiliunt.* Libro 1. de Clem. cap. 4: *haec unitas et hic maximi imperii contextus in partes multas dissiliet.* Nam illud recte in margine Col. *cruditate dissiliunt, morientes scil.* et de talibus ad 2. de ira c. 12." Illic habemus:
„ di-

„ didicerunt tenuissimis et adversis funibus currere," nempe *quidam homines:* ad quam phrasin vindicandam et aliis exemplis Gron. utitur, et loco modo allato Cic. *de Off.* I, 26, ubi nequaquam assentitur Hotomanno post *exsultantes* inserere volenti *dominos*.

Hanc itaque. Jam redit ad propositum, ut ostendat Deum, quando bonis viris calamitates immittat, non male de iis meruisse dicendum esse, sed bene judicasse.

quorum exp. ind. Non tamen hac de causa mos ille saevus institutus est, sed e sacris habuit originem: vid. Philostr. *vit. Apoll. Tyan.* VI, 20, ibique Olear. Nam Cragii citare librum cuivis notissimum nihil attinet.

vuln. praeb. vuln. Lips. „ Efficaciter dictum: id est, jam cutem laceram scissamque, praebere novae lacerationi." Ad animi vulnera, id est pravas cupidates hoc egregie transfert Epict. ap. Arr. II, 18. *p.* 277: „ ἴχνη τινὰ καὶ μώλωπες ἀπολείπονται ἐν αὐτῇ, οὓς εἰ μὴ τις ἐξαλείψῃ καλῶς, πάλιν κατὰ τῶν αὐτῶν μαστιγωθεὶς, οὐκέτι μώλωπας, ἀλλ' ἕλκη ποιεῖ."

11 *spiritus.* Labente Latinitate, sicubi cum affectu quodam animi loquerentur, *spiritus* ἀντὶ τοῦ *homo* dici coepit. Vell. Pat. II, 123: „ subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus." Boët. *Cons.* I, *p.* 14: „ Nec conveniebat vilissimorum me spirituum praesidia captare."

verberat nos. Hinc nova incipit rerum adversarum commendatio: viros bonos iis corroborari. Vid. ad *init. cap.*

non est saev. cert. est. Verborum collocatione sibi dilecta Scriptor utitur etiam *Epist.* LXVII, 14: „ non est tranquillitas, malacia est." Item *de Ben.* II, 8. §. 2: „ Non est illud liberalitas, censura est; auxilium est; principale tributum est." Ex ejus lectione adhaesisse videtur Minucio Felici, qui sic *p.* 337: „ quod corporis humani vitia sentimus et patimur, non est poena, militia est."

Solidissima. Non ita frequens hoc sensu *solidus*. Dixit tamen et Ovid. *Her.* IX, 59. *sq.*

„ Non puduit *fortes* auro cohibere lacertos,
Et *solidis* gemmas apposuisse toris."

ut — duremur. Ita *Cons. ad Helv.* II, 3: „ Unum habet assidua infelicitas bonum, quod quos saepe vexat, novissime indurat."

 ad

ad excut. tela. Lips. „Adeo excutiebant, et velut tormento torquebant veterani illi, ut hodie fidem res non inveniat apud ignaros."

12 *Ad contemn. — pervenit.* Intellexit hoc etiam Pacuvius, „ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram," ut ait Cic. *Tusc.* II, at, ubi pulchri quidam ex ejus *Niptris* in hanc sententiam versus afferuntur.

Romana pax, i. e. imperium Romanum: de qua significatione docte disputat Gron. *ad* Tac. *Ann.* XII, 33.

vagarum gentium. Harum nomina si quaeras, Lips. enumerat Scythas, Sarmatas, Hamaxobios, Ruhk. Dacos, et imprimis intelligendum esse monet tractum illum circa sylvam Nigram etiam nunc horridum et incultum. De quibus singulis vid. *Interpr. ad* Vibium Sequestrem *ed.* Oberl.

Perpetua illos, cet. Cum hac descriptione vitae in summa paupertate felicis comparate, si placet, similem de Lapponibus locum in *Orat.* Reimari, qua ostenditur *omnes homines aeque felices esse*, *p.* 12, 13: quam orationem in *Syntagm. Dissert. ad philos. mor. pertinentium* edidit *Cl.* M. Tydeman.

culmo. Commode Lips. locum affert Taciti *de Mor. Germ. c.* 16: „Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus."

13 *Nihil — perduxit.* Rem egregio confirmat exemplo *de Tranq. an.* X, 1: „Cogita compeditos primo aegre ferre onera, et impedimenta crurum: deinde, ubi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facile." Plura dedit ad eum locum *Doct.* Hirsch. *p.* 144.

Nulla — posuit. Lips. „Ad Sarmatas et Hamaxobios haec refer, qui *in plaustro equoque vivunt*, ut ait Tacitus: et hoc signo colligit *Peucinos Fennosque Germanis potius adscribendos, quia domos figunt.*" In quo notanda Magni Viri festinatio; diligentius enim locum Taciti *de Mor. Germ.* 46. inspicienti patet, Venedos, non Fennos Peucinosque illa de causa Germanis annumerari. Ceterum quod eodem *cap.* refertur de Fennis easdem illas regiones pervagantibus, huic Senecae descriptioni multum convenit: „Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. — Nec aliud infantibus

bus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum."

14 *Non est — creverunt.* Quod de arboribus Seneca, idem de corporibus hominum affirmat Hippocrates, cujus verba suggerit Mur. „ Κίνησις γὰρ κρατύνει; ἀργίη δὲ τήκει."

constringitur, i. e. *humo firmius affigitur.*

quae non — sustinenti. Duo in hanc sententiam veterum dicta laudat Gatak. *ad* Ant. IV, 49: alterum Biantis ap. Diog. L. I, 86, qui dicebat, „ ἀτυχῆ εἶναι τὸν ἀτυχίαν μὴ φέροντα:" Senecae alterum *Herc. fur.* 464: „ Quemcunque fortem videris, miserum neges." Alia quaedam annotavi ad II, 3: „ non quid, sed quemadmodum feras, interest."

CAPUT V.

1 *Adjice nunc* cet. Jam e rebus quatuor antea propositis (III, 1.) alteram explicare pergit: ea, quae videntur aspera et abominanda, pro universis esse, quorum major Diis cura est, quam singulorum.

militare. Conferri potest et quod ad verbum, et quod ad sententiam *Epist.* XCVI, 3: „ Atqui vivere, mi Lucili, militare est. Itaque hi, qui jactantur, et per operosa atque ardua sursum atque deorsum eunt, et expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt primoresque castrorum: isti, quos publica quies, aliis laborantibus, molliter habet, Turturillae sunt, tuti contumeliae causa."

edere operas et *operam* peculiari quodam sensu de pugnantibus usurpatur, uti docuit Gron. *ad* Liv. III, 63.

Hoc est — nec mala. Epictetus ap. Arr. IV, 6. *p.* 610. discipulum suum jubet, id quod Jupiter nondum facere potuerit, conari cunctis hominibus persuadere, quaenam vere bona sint, quae mala. Idem Cynicum inducit, hoc a Jove sibi datum esse negotium praedicantem, ut vera felicitas ubi quaerenda sit, exemplo suo doceat. *Ib.* 8. *p.* 640.

haec — nec mala. E placito Zenonis, qui statuebat: „ ἀδιάφορα τοιαῦτα, ζωὴν, θάνατον, δόξαν, ἀδοξίαν, πόνον, ἡδονὴν, πλοῦτον,

 πε-

πενίαν, νόσον, ὑγίειαν, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια." Stob. *Ecl. eth. p.* 166. *ed.* Cant. Diog. Laërt. eadem dicta fuisse refert οὐδέτερα, VII, 101. *sq.* ubi qui plura velit, adeat Menagium.

quae vulgus appetit. Hac formula potentiam, opes ac similia designare solent philosophi, ut Plut. *Luc.* XXI. *p.* 65: πάντων, ὅσα ζηλοῦσιν οἱ πολλοὶ καὶ θαυμάζουσιν, οὐ μόνον ὄντων περὶ αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτὸν γεγονέναι δοκούντων."

apparebunt — irrogaverit. Hujus argumenti vim agnovit etiam Anton. II, 11. IV, 39. Scriptorum sententiis ad priorem locum a Gatakero laudatis addi possunt verba Boëtii *Cons.* II. *p.* 43: „Ad haec, si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni, nunquam pessimis provenirent. Neque enim sibi solent adversa sociari; natura respuit, ut contraria quaeque jungantur. Ita cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona non esse, quae ac pessimis haerere patiuntur." Cf. *ib.* IV. *p.* 123.

Irrogaverit. Non sine dilectu verbum hoc Seneca posuit, de rebus tristibus usurpari solitum. De civili significatione notavit Ruhk. Caesarum demum tempore invaluisse, ut *irrogare mulctam, poenam* simpliciter dicerent pro *imponere*, quippe populo suffragiorum jure ademto.

Detestabilis — fornice. Sunt haec omnia Dei quasi ratiocinantis ac decernentis verba.

Appius. „Claudius re et nomine Coecus, Pyrrhi tempore. Liv. IX, 29." Ita Ruhk. Multo autem honestiorem caecitatis Appii causam Seneca refert, quam dicto loco Livius, qui tradit eum, quod Herculis sacra servos publicos docuisset, „memori Deûm ira, post aliquot annos luminibus captum." Ejusdem exemplum affert Cic. *Tusc.* V, 38, ubi docet caecitatem non adimere vitam beatam.

Metellus. Vinetus *ad* Eutrop. II, 24. Metellorum familiam accurate percensens hunc ita designat: „L. Caecilius Metellus Consul ad annum Urbis DII, qui primo Punico bello tot elephantos cepit, Pontifex Max. fuit, Dictator, magister equitum, quindecimvir agris dandis: cui populus Romanus tribuit, ut quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam, ob oculos incendio amissos, cum Palladium ex aede Vestae ardente raperet, (ut nar-

ra-

ravit Livius *lib.* XIX)." Praeterea Lipsio laudantur *de Brev. vit.* XIV, Plin. *H. N.* VII, 45.

2 *Non — bonum.* Divitias non esse bonum abstrusiore demonstrabat argumento Diogenes Stoicus. Cic. *de Fin.* II, 15. Quatuor alia Noster adhibuit *Epist.* LXXXVII, 10—33, divitias bonum esse negans ideo quod non bonum facerent possessorem; quod improbissimis quoque contingerent; quod ex malo fierent, ut e sacrilegio; quod denique praecedentem malorum causam haberent. E quibus primum equidem validissimum arbitror, usurpatum etiam ab Anton. VIII, 1.

Itaque — leno. Similiter *Epist.* LXXXVII, 13: „opes autem et lenoni et lanistae contingunt:" quem locum aliaque nonnulla Gatak. attulit ad Anton. V, 10. Add. Cic. *Tusc.* V, 16: divitias „cum quivis, quamvis indignus, habere possit, in bonis non numero."

pecuniam — consecraverint. Haec cum dupliciter intelligi posse videantur, equidem magis probo Lipsii, quam et Ruhk. amplexus est, sententiam, ita disputantis: „An pro mente Divi Augustini, cui *Pecunia* palam Dea est, libro IV, de Civitate, cap. XXI? Sed negat Juvenalis in templis sacratam:

etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Nec id cum Augustino pugnat, ut censent qui imperitiae poëtam accusant; quia potuit Dea censeri Pecunia, nec templo tamen coli. Neque enim omnes sane minuti et plebeji Dei honore illo dignati. Sed de Seneca, verius sit eum dicere *Pecuniam in templis sacratam*, non ut Deum; sed donaria auri argentique ibi sacra, et ipsos Deos Deasque ex illo metallo."

traducere. Plena dictio *traducere per ora hominum*, de iis usurpata, qui cum contumelia multitudinis intuentis adspectui offerebantur, ut in triumpho. Sic Tullus ille Volscus ap. Liv. II, 38. populares suos admonet: „vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum?" quando scilicet urbem excedere jussi essent. Justin. XXXVI, 1: „capitur traductusque per ora civitatium, populis, qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur." In quibus *per* idem valet, quod *praeter*, ut confirmat locus Sallustii *Jug.* XXXI, 10: „incedunt per ora vestra magnifice," ubi

plura notavit Cortius. Inde fluxit illa significatio verbi *traducere*, ut esset *risui, ludibrio exponere*, veluti *de Ben.* II, 17. §. 5: „ut malignis lusoribus propositum est, collusorem traducere."

debilitari, aut conf. a. all. Credo Senecam in tribus hisce vocibus de proeliorum fortuna cogitasse, qua facile fiebat, ut boni quoque vel pedem aut manum amitterent (hoc enim esse videtur *debilitari*); vel sagittis *configerentur* sive trajicerentur. Nam de crucis supplicio ut *affigi* frequens est, ita *configi* nusquam apud bonos quidem scriptores inveni, nec nisi in *Martyrologio* quodam ap. Lips. *de Cruce* II, 9. Praeterea Romani cum isto supplicio rarissime liberos homines afficerent, haud probabile Senecam hujusmodi exemplum attulisse. Commodius id facere potuit in simili re Plato *de Rep.* II. *p.* 263. A. Vulnerati autem *alligabantur* a medicis, quod mox appellat *obligari*. Verbum idem usurpatur de servis, quorum crus aut brachium involucro quodam tegebant mangones. *Epist.* LXXX, 9.

3 *Quid porro?* Videtur haec dictio eandem fere vim habere, atque illa *quid ergo?* similesque, de quibus Steph. *Prood. ad lect. Sen. p.* 138. *sqq.*

percisos. Satis intelligimus fortibus viris opponi mollissimum quoddam et contemtissimum genus hominum. Neque nunc inquirere vacat, *percisos* an *praecisos* melius scribatur, castratine an alii significentur. Mireris Eruditos in talibus illustrandis operam posuisse. Nam, ut monetur in Gruteri et Jureti notis, egit de iis Turneb. *Advers.* XXX, 16, itemque Brisson. *Select. Antiq.* II, 13. Annotavit autem ad veterem lectionem *praecisos* haec sua manu Casaub. in margine editionis, quae servatur in κειμηλίοις Bibliothecae LB. „An intelligit eos, qui pollices sibi praeciderint, ut fugerent militiam? de iis vide H..... non puto tamen."

nobilissimas virgines. Vestales, quarum dignitatem insigniter auxerat Augustus, ut in ejus vita refert Suet. *c.* 31. Ea vero jam tempore reip. tanta fuit, ut saepe reis laborantibus succurrerent, et Claudia Vestalis sive patrem suum, sive fratrem (Fulv. Urs. *ad* Suet. *Tib.* 2.) injussu populi triumphantem curru conscenso a tribunorum pl. intercessione defenderit. E nobilitate maxime captas fuisse monet Ruhk. allato Gellio I, 12.

ad

ad sacra — excitari. Laudat hunc locum Lips. *Syntagm. de Vesta et Vestal. c.* 10, testimoniumque adjungit Prudentii, qui *contra Symm. l.* II,

„ Quae nunc Vestalis sit virginitatis honestas,"

discutiens ita canit *vs.* 1911. *sq.*

„ Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias Latii pro majestate palati."

citat, i. e. *deposcit optimos ad onera sustinenda.* Videtur inde ducta metaphora, quod consules in militum delectu cives *citari* jubebant, id est nominatim ad se vocari, ut imperarent iis militiam.

Senatus — consulitur. Hinc videmus etiam illa aetate senatui, licet a Nerone spreto, ut in ejus vita tradit Suet. *c.* 37, consultandi tamen jus relictum esse.

Campo. Martio, tunc temporis oblectationis loco, quemadmodum Hor. *Epist.* I, 7. *vs.* 58, 59. praeconem illum memorat,

„ Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo,
Et ludis, et post decisa negotia Campo."

otium suum obl. Potuerat hunc locum adducere Lips. *ad* Tac. *Ann.* XII, 4, ubi libris habentibus „ cum privatis olim conversationes curaret, iners otium objectaret," ipse praeclare correxit: „ cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret:" quod et Casaubono probavit et Ernestio.

Idem — fit. Similiter Epict. ap. Arr. III, 22. *p.* 444: „ *οὕτω γίνεται καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει ταύτῃ.*" Solebant Stoici mundum assimilare civitati Deorum hominumque communi: de quo notarunt Lips. *Phys. p.* 83. *sq.* Gatak. *ad* Anton. II, 16. Upt. *ad* Arr. II, 5. *p.* 192. Hic autem in enumerandis Antonini locis pro III, 11. perperam laudavit II, 11. Senecae loca apto disposuit ordine *Doct.* Thiebout *Disput. cit. p.* 69—72.

impendunt. Optime Lips. „ Abest a meo, sed retineo et explico: operam, curas, ingenium impendunt." Schotti quoque editioni deest.

impenduntur. Idem: „ Argute, non solum sua, sed se impendunt: hoc enim est, ipsi *impenduntur*, pereunt, occiduntur. Noster Consol. ad Helviam cap. XVI. [§. 16.] *Quanto justius*

tius

tius sit te ili servari, quam mihi impendi." Pulchre Manil. *Astron.* IV:

„ Impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso."

et volentes quidem. His verbis transitus fit ad tertiam rationem: tristia illa volentibus accidere.

non trahuntur. Hanc sententiam, fata volentes ducere, nolentes trahere, festivo exemplo illustrare solebant Stoici; quod e libro parum cognito *τῶν φιλοσοφουμένων ἀνεκδότων* attulit Menag. *ad Diog. L.* VII, 149, de cane post currum alligato, qui si volens sequeretur, funem non sentiebat, sin resisteret, invitus procedere cogebatur. Similem h. l. comparationem exhibuit Sen. fortunam quasi ducem faciens. Vid. quae notavimus ad II, 5.

si sc. antec. Posuit haec tanquam ad introitum illius vocis Demetrii, quae lucem iis affundit. Itaque antecedere fortunam dicitur is, qui calamitates illas sibi ipse consciscit, quas ei parabat immittere fortuna.

4 *Hanc quoque.* Nam aliam antea memoraverat III, 3.

Prior enim. Haud abludit oratio Chrysippi, quam laudat Epict. *ap.* Arr. II, 6. *p.* 195: „ *εἰ δέ γε ᾔδειν, ὅτι νοσεῖν μου καθείμαρται νῦν, καὶ ὥρμων ἂν ἐπ' αὐτό.*" Eundem intelligi credibile est *c.* 10. *p.* 216. *sq.* „ *Διά τοῦτο καλῶς λέγουσιν οἱ φιλόσοφοι, ὅτι εἰ προῄδει ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὰ ἐσόμενα, συνήργει ἂν καὶ τῷ νοσεῖν, καὶ τῷ ἀποθνήσκειν, καὶ τῷ πηροῦσθαι.*" Estque similis Epicteti adhortatio III, 24. *p.* 504: „ *Ἄνθρωπε, εἰς φυλακήν σε δεῖ χαίροντα ἀπιέναι, σπεύδοντα, φθάνοντα τοὺς ἀπάγοντας.*"

adsum, i. e. *praesto sum quasi ad imperatum.*

Vultis liberos cet. Lips. et Gatak. *ad* Ant. IV, 34. haec Senecam finito Demetrii sermone subjicere censent: ego Ruhkopfium sequi malui totum hoc usque ad *decurrere* Demetrio tribuentem. Quamquam illa *eo quidem magis*" cet. Seneca videri possit de suo Demetrianis assuisse, quo leniorem haberet transitum ad quarti argumenti tractationem: fato ista fieri, et recte eadem lege bonis evenire, qua sunt boni. Ceterum ad hunc locum cui non in mentem veniunt Ennii illa ap. Cic. *Tusc.* III, 13:

„ Ego cum genui, tum moriturum scivi, et ei rei sustuli.
Praeterea ad Trojam cum misi ob defendendam Graeciam,
Sciebam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere."

Quos

Quos versus manifesto quoque intelligit in *Cons. ad Polyb.* XXX, 1, non Xenophontis dictum, ut putarunt Lips. et Ruhk. Itidem Hierocl. *Comment. in Carm. Pythag.* p. 109: „ καὶ παίδων ἀποβολὴν πρᾴως ἤνεγκεν ὁ δίκαιος βίος, ὁ δυνάμενος εἰπεῖν, Τέθνηκε τὸ παιδίον; οὐκοῦν ἀπεδόθη."

Vultis — sumite. Simili animi aequitate de crure mutilato semet ipsum alloquitur Epict. ap. Arr. I, 12. p. 76, 77. Ubi et haec comparanda cum mox sequentibus: „ οὐ χαίρων παραχωρήσεις τῷ δεδωκότι;"

spiritum? Stoicis anima spiritus sive ventus habebatur, ut docet Gatak. *ad* Ant. II, 2.

nullam moram faciam, i. e. *nihil adversus id movebo.* Eodem sensu dicitur ap. Liv. III, 54: „ Nihil ne ego quidem moror, quo minus decemviratu abeam."

recip. quod ded. Hanc et Epict. Divinam esse legem dixit, ut quis iis, quae darentur, utens, non data non appeteret, illa vero si adimerentur, facili animo redderet, ac statim pro tempore, per quod iis usus fuisset, ageret gratias. Arr. II, 16. p. 260. Alia praeterea veterum in hanc rem egregie dicta vid. ap. Gatak. *ad* Anton. II, 3. Upton. *ad* Arr. I, 1. p. 11.

nihil — retinenti. Valde convenit Epicteti oratio, se a Caesaris cubiculariis excludi posse negantis, idque propterea, ὅτι „ ἀποκλεισμὸς ἐμοὶ οὐ γίνεται, ἀλλὰ τοῖς βιαζομένοις." Arr. IV, 7. p. 625.

Nihil — invitus. Egregia sententia, conferenda cum celebrato illo fine *Enchiridii* Epicteti. Cui philosopho fuit hoc in votis, ut cum diem supremum ageret, ita Deum esset interrogaturus: „ μή τι ἐμεμψάμην σου τὴν διοίκησιν; ἐνόσησα, ὅτι ἠθέλησας. καὶ οἱ ἄλλοι, ἀλλ' ἐγὼ ἑκών. πένης ἐγενόμην σοῦ θέλοντος, ἀλλὰ χαίρων. οὐκ ἦρξα, ὅτι σὺ οὐκ ἠθέλησας. οὐδέποτ' ἐπεθύμησα ἀρχῆς, μή τί με τούτου ἕνεκα στυγνότερον εἶδες;" cet. Arr. III, 5. p. 374. Similia praecepta Marci III, 5: „ μήτε ἀκούσιος ἐνέργει," et IV, 34: „ ἑκὼν σεαυτὸν τῇ Κλωθοῖ συνεπιδίδου." Quorum ad hunc locum Gatak. multa congessit, ad illum attulit verba Cic. *Parad.* V, 1: „ Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus." Idem sentit Hierocl. *Com-*

ment. in Carm. Pythag. p. 122, ubi, quod obiter moneo, poëtae sui mentem aliquantum invertit. Is enim dixerat *vs.* 20:

„ Οὐ πάνυ τοῖς ἀγαθοῖς τούτων πολὺ μοῖρα δίδωσι,"

Nempe ἀλγέων· at ille penitus negat bonis accidere tristia. Eamque sententiam εὔλογον esse cum alia, tum hac ratione docet: „ πρῶτον μὲν γὰρ οἴσουσιν αὐτὰ πρᾴως τῇ εὐαρεστίᾳ τῆς θείας κρίσεως." Et haec est illa „ τῶν σοφῶν πρὸς τὰ συμβαίνοντα εὐαρέστησις, ὡς πάντα κατὰ μοῖραν γιγνόμενα," cujus meminit Plut. *de Fato c. ult.* De eadem Arr. II, 12. Utque philosophiae severitatem condimento quodam exhilaremus, en versiculos Schoonhovii, quos affert ipse *Emblem. p.* 124:

„ jugumque nullum est,
Quod non durius urgeat morantem,
Quam qui subsequitur ducem paratus.
Unum est tristibus in malis levamen,
Pati leniter. Et necessitati
(Ut virum decet) obsequi libenter."

nec — assentio. Se quoque in omnibus, quae adversa viderentur et dura, sic formatum esse scribit Sen. *Ep.* XCVI: 2: „ Non pareo Deo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia autem, ad quae gemimus, quae expavescimus, tributa vitae sunt." Adeoque Demetrii vox ipsi placuit, ut eam et in alia re usurparet *Ep.* LXXX, 2, ubi agit de philosophis prioribus: „ Non servio illis, sed assentior."

eo quidem magis. Vid. notata paulo ante ad *Vultis liberos.*

5 *Fata nos ducunt.* Qui Mureti carent operibus, gratum iis me facturum putavi, si Viri Eruditissimi annotationem ad h. l. integram hic apponerem: „ Sic alibi

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Et Manilius:

Fata regunt orbem: certa stant omnia lege.
Nascentes morimur: finisque ab origine pendet.

Fatum vocabant antiquissimi consilium Jovis, quo regerentur omnia. Itaque apud Homerum cum legerent: Διὸς δ'ἐτελείετο βουλὴ,

fa-

fatum intelligebant. Eandem *αἶσαν* vocabant, quam ait Homerus unicuique hominum nere id quod ipsi eventurum est. Juno Iliados *ύ* [127 *sq.*]

ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα
γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Eandem, *τὸν τοῦ παντὸς λόγον*, id est mentem et animum mundi: *Ζῆνα*, tanquam *τοῦ ζῆν αἴτιον*: et *εἱμαρμένην*, tanquam *εἱρμόν τινα* omnium quae fierent: et *Δία ὅτι πάντα δι' αὐτοῦ* et *πεπρωμένην*, quod certa ac definita esset, eandem Plato libro X. de Republica vocat *Ἀδραστείας νόμον*. His autem omnibus nihil aliud significabant, quam Deum; ut praeclare disputatur ad finem *ψευδαριστοτελείου* libelli de mundo ad Alexandrum; et apud Ciceronem in Academicis. Hic si substitissent, ferri poterant. Sed progressi sunt ulterius, ut dicerent, esse ordinem quendam necessarium in rebus omnibus ex omni aeternitate constitutum: cui non inferiora modo haec, sed et Deus ipse serviret: ita ut eum mutare non posset. Hunc ita definiebat Chrysippus, ut diceret, fatum esse sempiternam quandam et indeclinabilem seriem rerum et catenam, quae semet ipsa volveret, et implicaret per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque esset. Ergo Jupiter ipse Iliados *χ*. [corr. *π*. 433. *sq.*]

Ὤμοι ἐγὼν ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

et inde est illud Simonidis: *ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται.* et veteris cujusdam poëtae apud Ciceronem:

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem.

In quo insaniebant. In Deo enim libera et absoluta rerum omnium potestas est: necessitas nulla. Hoc tamen diligentissime observabant, ne Deum mali auctorem facerent. Itaque in illa oratione Lacheseos, quae Necessitatis filia dicitur, libro decimo de Rep. [*p.* 382.] ita scriptum est: *ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει. αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος.* Et apud Homerum lib. I. Odysseae. Jupiter ait desipere homines, cum malorum caussam referunt in deos, in quae ipsi sua se stultitia conjiciant:

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.

'Εξ ἡμέων γὰρ φασι κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.

Nobis Christianis satius est, ut *Fortunae*, ita *Fati* nomine abstinere. Quodsi quis, cum fato omnia regi ait, divinum consilium a se *fati* nomine intelligi dicit, *sententiam*, ut ait S. August. *teneat*, *linguam corrigat*. Vulgo enim *fati* nomine accipiunt commenticiam quandam necessitatem, quae ex sideribus pendeat: quae merum somnium est. *Absit*, ait S. Gregorius, *a fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant*. Ut a tam impiarum opinionum foeditate longissime abesse, ita omnes voces, quae illarum suspicionem movere aliquam possint, studiosissime vitare debemus. Si Christiani sumus, utamur et moribus et vocibus Christianis." Haec Muretus, cujus in extrema annotatione monitio ne nostra quidem aetate supervacua sit. Fatum quid a Providentia differat, exponit Boët. *Cons.* IV. *p.* 117. *sq.*

quantum. Non solum vitae spatium intelligi videtur, sed omnia, quae per illud seu mala seu bona fatis ducentibus eveniant. Eodem sensu *restare* posuit Virg. *Aen.* VII, 271:

„ Hoc Latio restare canunt."

Huc Chrysippus referebat illos Homeri versus ex Il. Υ paulo ante a Mureto citatos, ad quos Duporti *Gnomol. Homericam* laudat *Doct.* Baguet *Comment. de Chrys. p.* 219. *sq.* Pertinent eodem *Oed. vs.* 987. *sq.*

„ Omnia certo tramite vadunt,
Primusque dies dedit extremum."

Item obscurior ille locus Taciti *Ann.* VI, 23: „ Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura destinentur;" i. e. plurimis mortalium evelli ea persuasio nequit, ut *eximere religionem* Liv. IV, 31, *cunctationem* Justin. XXX, 3. Alia scriptorum loca vid. ap. Gatak. *ad* Anton. IV, 26. Ceterum ut hominum singulorum, ita mundi nascentis hora prima constitutum esse, quando periturus esset, Seneca docet in egregia diluvii descriptione *Nat. Quaest.* III, 30. §. 1.

Causa — causa. Ita Vellejus ap. Cic. *de Nat. D.* I, 20, ubi Stoicos impugnat: „ Hinc vobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis: ut quidquid accidat, id ex aeterna ve-

veritate, causarumque continuatione fluxisse dicatis." Atque e sua persona Cic. *de Divin.* I, 55: „Fatum autem id appello, quod Graeci *εἱμαρμένην*, id est, ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat." Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna: quae Ciceronem e Chrysippi libris sumsisse judicabat Valck. excitatus a Ruhk. *ad Nat. Q.* II, 38. §. 1. Dicebatur haec a Chrysippo *συμπλοκὴ ἀπαράβατος*, ut e Gellio notavit Bruckerus *Miscell. Hist. philos. lit. crit.* p. 150. Pertinet huc etiam, quem paulo post idem affert, locus Plutarchi *de Plac. phil.* „*οἱ Στωικοὶ* —— *τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητον φασιν αἰτίαν καὶ βιαστικήν· τὴν δὲ εἱμαρμένην, συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ' ἡμᾶς, ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δ' ἀνειμάρθαι.*"

privata ac publ. i. e. *res universi mundi ac hominum singulorum.* Dicitur enim usu Stoico.

ordo, i. e. series, ut ait *Epist.* LXXVII, 11: „Series invicta, et nulla mutabilis ope, illigat ac trahit cuncta." *Nat. Q.* II, 35. §. 2: „ordinem rerum fati aeterna series rotat, cujus haec prima lex est, stare decreto."

quia — veniunt, i. e. non nunc demum subito exsistunt, sed e causis oriuntur diu ante praeparatis. Gatak. haec afferens ad *Anton.* VII, 31, comparat illud ex *Herc. fur.* 188:

„Certo veniunt ordine Parcae."

Neque aliter Cic. *de Divin.* I, 56: „Non enim illa quae futura sunt, subito exsistunt, sed est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis, et primum quidque replicantis."

summa in unum venit. Mirari subit, neminem Interpretum in hunc locum annotasse. Satis enim diu me exercuit. Puto tamen hanc esse sententiam: quamvis per vitae cursum alii multo sint aliis feliciores, omnium tamen *vitae finis* (id enim est *summa*, ut in computatione numerorum summa computandi finem facit) eodem redit; omnium vita morte terminatur. Copiosius idem enuntiat *Epist.* XCXI, 16. *sq.* „Conditor ille juris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Ubi retro ad finem mortalium ventum est: Discede, inquit, ambitio: omnium

quae terram premunt, sircmps lex esto. Ad omnia patienda pares sumus, nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior." Id quod variis modis ornavit Horatius, ut *Carm.* I, 4. *vs.* 13:

„ Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres."

Ib. II, 14. *vs.* 21. *sqq.*

„ Linquenda domus et tellus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Ulla brevem dominum sequetur."

accep. per. per. Non sine elegantia duo verba totidemque sententias coagmentavit, quarum utramque etiam alibi proposuit. De domino enim *Cons. ad Marc.* IX, 3: „ Quis unquam res suas, quasi periturus, adspexit?" Similiter atque Hor. *Carm.* II, 3. *vs.* 1. *sq.*

„ Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus ac bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli."

De possessionibus *Epist.* XCI, 12: „ inter peritura vivimus."

6 *Quid ita — sumus.* De dictione *quid ita?* notavi ad opusculi principium. *Indignari* familiare Senecae hac in re vocabulum, ut *Epist.* LXXI, 15: „ Quid est ergo, quare indigner, aut doleam, si exiguo momento publica fata praecedo? magnus animus Deo pareat, et quidquid lex universi jubet, sine cunctatione patiatur." *Epist.* XCI, 15: „ Nihil horum indignandum est. In eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur. Placet? pare: non placet? quacunque vis, exi. Indignare, siquid in te iniqui proprie constitutum est: sed si haec imos summosque necessitas alligat, in gratiam cum fato revertere, a quo omnia resolvuntur." Qua quidem necessitatis et sortis humanae cunctis obeundae cogitatione levari aegritudinem statuebat etiam Chrysippus, cujus sententiam adversus Carneadem recte defendere videtur Cic. *Tusc.* III, 25. Versus illic affert ex Euripidis *Hypsipyle*, libere pulchreque a se in Latinum sermonem conversos:

„ Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
Morbusque: multis sunt humandi liberi,
Rursum creandi: morsque est finita omnibus.

Quae

Quae generi humano angorem nequidquam afferunt.
Reddenda est terrae terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges: sic jubet necessitas."

Sequuntur ap. Euripidem plura, finisque ejusmodi:

„ δεινὸν γὰρ οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς."

Socratis in eandem sententiam dictum servat Stob. *Serm.* 254: „ ταὐτόν ἐστιν ἐν γυμνικῷ ἀγῶνι νικηθέντα ὕβρεως δίκην τῷ ἀνταγωνιστῇ λαχεῖν, καὶ ἐν τῷ ζῆν νικώμενον ὑπὸ τῆς τύχης ἐγκαλεῖν αὐτῇ, ἀγνοοῦντα ἐφ' οἷς δικαίοις εἰς τὸν ἀγῶνα τοῦ ζῆν συγκαταβεβήκαμεν." Eodem duo fragmenta pertinent ex Epicteteis; alterum *p.* 791. *ed.* Upt. „ Ὁ μεμνημένος τί ἐστιν ἄνθρωπος, ἐπ' οὐδενὶ τῶν συμβαινόντων δυσχεραίνει." Alterum *p. sq.* „ Ἀλόγιστός ἐστιν ὁ ἐν τοῖς συμβαίνουσι κατὰ φυσικὴν ἀνάγκην ἀχθόμενος."

ad hoc par. sumus. Similibus fere verbis Paulus Apostolus utitur ad Christianorum aerumnis afflictorum animos consolandos 1 *Epist. ad Thessal.* III, 3: „ αὐτοὶ γὰρ οἴδατε ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα." tanquam *sepositi sumus.* Et hac opportunitate levi liberandus est vitio locus Antonini X, 7: „ Εἰ δὲ τις καὶ ἀφέμενος τῆς φύσεως, κατὰ τὸ πεφυκέναι ταῦτα ἐξηγοῖτο, καὶ ὡς γελοῖον; ἅμα μὲν φάναι πεφυκέναι τὰ μέρη τοῦ ὅλου μεταβάλλειν, ἅμα δὲ ὡς ἐπί τινι τῶν παρὰ φύσιν συμβαίνοντι θαυμάζειν, ἢ δυσχεραίνειν." Prius ὡς accentu donandum videtur, ut καὶ ὧς Homerico more passim ab aliis recepto significent *vel sic quoque.* Male reddidit Interpres: *vide quam ridiculum sit.*

natura, idem quod Deus, vid. ad III, 11.

nihil perire de nostro. Explicandum e doctrina Stoicorum, qui animi bona sola propria esse, cetera nihil ad nos pertinere statuebant, ut Epict. ap. Arr. I, 25. *p.* 126. *sq.*

Quid est — fato. Sic Anton. IV, 34: „ Ἑκὼν σεαυτὸν τῇ κλωθοῖ συνεπιδίδου, παρέχων συννῆσαι, οἷστισί ποτε πράγμασι βούλεται." Ubi lectu dignissima Gatakeri annotatio.

Grande — rapi. i. e. *ferri velocissime.* De mundi currentis celeritate monuimus ad I, 2. Sententia paululum inversa legitur in Sen. ac Syri *Sent.* 708:

„ Solatium grande est, cum universo una rapi."

Ad quem locum Grut. illa laudat e *Thyeste* 882. *sqq.*

„ Vi-

„ Vitae est avidus,
Quisquis non vult, mundo secum
Pereunte, mori."

Pulchrius etiam Chorus *Troad.* 1013. *sqq.*

„ Semper, ah! semper dolor est malignus:
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum placuisse poenae.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat."

Quae laudans *Cl.* Tydem. *Epist. dedic. ad Synt. Dissert. p.* XLV, similem affert locum Ciceronis *Tusc.* I, 49: „ Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse uni potest?" Uberius idem Noster explicat in *Consol. ad Polyb.* XXI, 1: „ Quis tam superbae impotentisque arrogantiae est, ut in hac naturae necessitate, omnia ad eundem finem revocantis, se unum ac suos seponi velit: ruinaeque etiam ipsi mundo imminenti, aliquam domum subtrahat? Maximum ergo solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri: et ideo mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur aequalitas." In quo Stoici dissentientem habuere Carneadem, qui „ negabat genus hoc orationis quidquam omnino ad levandam aegritudinem pertinere. Id enim ipsum dolendum esse dicebat, quod in tam crudelem necessitatem incidissemus. Nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malivolos consolandos esse accommodatam. Mihi vero" (ait Cic. cujus haec sunt verba *Tusc.* III, 25) „ longe videtur secus. Nam et necessitas ferendae conditionis humanae, quasi cum Deo pugnare prohibet, admonetque esse hominem: quae cogitatio magnopere luctum levat: et enumeratio exemplorum, non ut animum malivolorum oblectet, affertur, sed ut ille, qui moeret, ferendum sibi id censeat, quod videat multos moderate et tranquille tulisse."

necessitate. Locum hunc citantes Gassend. *Op. t.* II. *p.* 832. et Cudworth. *Syst. int. t.* I. *p.* 7. dedere *necessitas.* Alterum autem ut a Seneca profectum esse, codicum evincit consensus, ita videtur et elegantius. Herodotus similiter LX, 16: „ ἑπόμεθα ἀνα-

ἀναγκαίῃ ἐνδεδεμένοι." Potuisset tamen etiam scribere *necessitas*, ut scripsit *Epist.* XCI, 15: „ haec imos summosque necessitas alligat." *Cons. ad Helv.* VI, 7: „ ut lex et naturae necessitas ordinavit." Siquidem fatum (id enim significatur his verbis: „ quidquid —— mori") fatum igitur a nonnullis idem dicebatur *necessitas*, ut a Parmenide, Democrito, Leucippo, Heraclito, secundum Stob. *Ecl. Phys. p.* 10, 12. *ed.* Canteri.

Deos hic intelligere sidera videtur, quae a Stoicis in Deorum habebantur numero. vid. *Praef. p.* 2. His stare et desciscere in contrarium non licere, neque tamen id imbecillitate fieri, sed quia non libeat ab optimis aberrare, et sic ire decretum sit, exponit *de Ben.* VI, 21. *sqq.* Valde simile *fragm.* Epicteti *p.* 783. *sq.* „ Ὅτι τοιαύτη ἡ τοῦ κόσμου φύσις καὶ ἦν, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται· καὶ οὐχ οἷον τε ἄλλως γίγνεσθαι τὰ γιγνόμενα, ἢ ὡς νῦν ἔχει· καὶ ὅτι ταύτης τῆς τροπῆς καὶ μεταβολῆς οὐ μόνον οἱ ἄνθρωποι μετειλήφασιν, καὶ τἄλλα ζῶα τὰ ἐπὶ γῆς, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖα —— —— ἐὰν πρὸς ταῦτα τις ἐπιχειρῇ τρέπειν τὸν νοῦν, καὶ πείθειν ἑαυτὸν ἑκόντα δέχεσθαι τὰ ἀναγκαῖα, πάνυ μετρίως καὶ μουσικῶς διαβιώσεται τὸν βίον." Euripidis item versus ex *Hecuba*, quos affert Mur. *ad* I, 2:

„ Ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοι τε κ' ἀσθενεῖς ἴσως,
ἀλλ' οἱ Θεοὶ σθένουσι, χὠ κείνων κρατῶν
νόμος."

Et Moschionis e *Telepho* servati a Stob. *Ecl. phys. p.* 10:

„ Ὦ καὶ Θεῶν κρατοῦσα καὶ θνητῶν μόνη,
Μοῖρα λιταῖς ἄτρωτε δυστήνων βροτῶν."

Quaeque paulo post illic habentur e Philetae *Mercurio:*

„ Ἰσχυρὰ γὰρ ἐπικρατεῖ ἀνδρὸς ἀνάγκη,
ἥ ῥ' οὐδ' ἀθανάτους ὑποδείδιεν, οἵ τ' ἐν ὀλύμπῳ
ἔκτοσθεν χαλεπῶν ἀχέων οἴκους ἐκάμοντο."

irrevoc. Ita de fatis ait *Nat. Q.* II, 35. §. 2: „ Servant cursum irrevocabilem." *Herc. fur.* 559:

„ Parcarumque colos non revocabiles."

Ille — Rector. De summo Deo Senecae effata collecta videas a Cudwortho *Syst. Int. tom.* I. *p.* 673, Wyttenb. *Disp. de Un. Dei Opusc. tom.* II. *p.* 403. *sq.*

scripsit — jussit. Deum ipsum principem fatis teneri statuebant veteres. Homeri locum notissimum *Il.* Π, 433. *sqq.* cujus in explicatione Ciceronem *de Divin.* II, 10. refellit Victor. *Var. Lect.* XXXIV, 24. equidem ita interpretandum censeam, ut Jupiter illud immutare non posset, Sarpedoni, si tum cum Patroclo congrederetur, moriendum esse; ceterum posset eum pugnae eximendo, mortis periculo liberare. Fatum igitur conditionem quandam sibi adjunctam habebat, ut in Achille *Il.* Α, 352—354. in Euchenore *Il.* Ν, 663. *sqq.* in Aegistho *Od.* Α, 37—43, in equo Trojano *Od.* Θ, 511—513: in quam conditionem vis erat Jovi concessa. Ea autem vi ceteris Diis invitis uti noluit. Cf. Cl. v. Limb. Brouwer in libro Belgico *Proeve ov. de zed. Schoonheid in de Poëzij van Hom. p.* 16, 18. Hesiodi locus est notabilis *Theog.* 463. *sqq.* de Saturno, qui Jove nondum nato primas Deorum obtinebat:

„ Πεύθετο γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Οὕνεκά οἱ πέπρωτο ἑῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι,
Καὶ κρατερῷ περ ἐόντι, Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς."

Ubi postremum versum immerito nothum judicasse videtur Guietus. Potest enim *διὰ βουλὰς* eodem modo intelligi, quo mox *vs.* 496: „ *Νικηθεὶς τέχνῃσι βίηφί τε παιδὸς ἑοῖο.*" — Et haec antiquissimorum vatum, et alia multa veterum dicta recensuerunt *Erud. Viri* Cudw. et Mosh. *Syst. Int. tom.* I. *p.* 7, 8. Nonnulla quoque collecta sunt in libro, qui sub finem seculi superioris hoc titulo prodiit: *Algemeen magazijn bij Meyer Warnars, tom.* IV. *part.* 1. Ubi miror, qui scribi potuerit, Q. Calabrum hac in re a superiorum sententia discrepasse, qui tamen ceteris Diis omnem fato resistendi potentiam denegat, de Jove subdubitare videtur; sic enim *Paralip.* XIV, 97—100:

„ ἀλλ' οὐ μὰν ὑπὲρ αἶσαν, ἐελδόμενοί περ, ἀμύνειν
ἔσθενον· οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ὑπὲρ μόρον οὐδὲ Κρονίων
ῥηϊδίως δύνατ' αἶσαν ἀπωσέμεν, ὅς περὶ πάντων
ἀθανάτων γένος ἐστὶ, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλονται."

Neque majore diligentia scriptor ille videtur in iis, qui fato Deos subesse statuebant, Lucianum ponere, cum et *Philopatris* non satis certo referatur in Lucianeis, et jocis atque dicteriis adeo scateat, ut certa quidem inde sententia nullo pacto confici queat.

Quid

Quid quod in *Jove confut.* (*Op.* II. *p.* 124. ed. Graevii, qui locus a Cudw. memoratur) sententiam hanc ipsam ridet Lucianus? Ceterum duplicem, qua quis antiquos hac in re absurditatis crimine liberare possit, viam monstrat Moshem. *l. c.* Lipsius idem agit *Phys. Stoic. p.* 31; multis congestis Senecae sui dictis, unde leniorem hujus opinionis interpretationem eliceret. Contra severius de eo, quod hic habemus, effato judicavit Lulofsius *ad* Budd. *de Ath. p.* 339. *sq.* Equidem ut philosophi nostri causam agere nunc non aggredior, ita illud dico, Stoicis, si constare sibi vellent, necessarium quodammodo fuisse statuere, ut fato, id est suo ipsius decreto staret Jupiter; siquidem illi Jovem et fatum unum idemque censebant. Memorat hoc e Chrysippi libris de natura Deorum Vellejus apud Cic. *de Nat. D.* I, 15: „Idemque etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Jovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem." Affert hunc locum Aldobrand. *ad* Diog. Laërt. idem testantem VII, 135: „ἕν τε εἶναι Θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι," ubi plura Menagius. Quid igitur? num idem lex ac legislator? Fateor hic aliquam repugnantiae speciem esse, cum alibi saepe Stoici, velut h. l. Seneca, fatum ut legem quandam memoret. Itaque duplex apud ipsos hujus vocabuli *fatum*, εἱμαρμένη videtur usus, ut modo legem ipsam ordinemque rerum ab aeterno constitutum, modo Deum istius legis auctorem atque custodem significet, sive, ut ait Plut. *de Fato c.* 1. nunc sit ἐνέργεια, nunc οὐσία. — De verbo *scripsit* ita Lips. „Ex opinione, qua censebant Jovem dictare: et *Parcas* (verba Capellae) *scribas Jovis, quod ejus decreta in aereas tabulas referrent.*" Eodem sensu in *Herc. fur.* 190:

„Certo veniunt ordine Parcae.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem."

7 *Non — materiem.* Parum mihi placent in horum verborum interpretatione Murctus eumque secutus Lipsius, veterum de mali origine placitum huc arcessentes. Neque enim hic universe malorum originem explicat Seneca, sed illud dicit, veluti artifex ma-

teriem mutare nequeat, ita neque Deum materiem ad elaborandum sibi datam, id est necessarios rerum nexus immutare posse, non posse necessitatem illam transgredi, qua cogatur ei, quem fortem ac magnum virum efficere velit, res adversas tribuere. Hunc loci sensum esse liquet e sequentibus.

haec passa est. Locus hic nescio an sit unus omnium e toto libello difficillimus, fortasse corruptus. Qualemcunque tamen explicationem dedit Ruhk. quam in *Not. crit.* exhibui. De materia secundum Stoicos, altero principio, quod dicerent τὸ πάσχον, τὴν ἄποιον οὐσίαν, vid. Lips. *Phys.* *p.* 8, 9, 19. *sqq.* Gatak. *ad* Anton. VI, 1, Lennep. *ad* Phal. *Ep.* *p.* 149, quosque laudat *Doct.* Baguetus *Comm. de Chrys.* *p.* 78, 154.

Quaedam — sunt. Hoc fundamento nititur illa vitarum sortitio, quam inducit Plato *de Rep.* X. *p.* 382. *sqq.*

in somnum itura. Vid. supra ad IV, 3: „virtuti iturae in obscurum."

inert. nect. el. Huic membro cum illa respondeant: „fortiore fato opus est. Non erit illi" cet. hoc quidem loco talis sententia requiritur, languidis ingeniis mollius fatum tribui. Quae quare sic enuntiaverit Auctor, indicat Lips. „Vult ecce materiem caussam esse talium effectuum vel eventuum, et ab ignava illa ignavos gigni; et vitam pariter sortemque totam talem." Possit huc advocari *Epist.* CXVII, 24: „Haec nempe sunt elementa, quibus hic mundus administratur." Alia videtur esse sententia Ruhkopfii, quippe qui locum affert *de Ir.* II, 18, 19. Verum ibi de ipsorum ingeniorum temperamentis, quae dicuntur, non de fato disseritur.

vir cum cura dic. i. e. *dignus, cujus laudes accurate compositeque praedicentur.* Eo sensu Tac. *Ann.* IV, 61: „Scilicet impetu magis, quam cura vigebat, utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit: sic Haterii canorum illud et profluens, cum ipso simul exstinctum est." Seneca ut *h. l.* et *de Tranq. an.* XIV, 6. de viri laudibus, ita de argumenti diligenti pertractatione phrasin eandem usurpavit *de Ben.* IV, 1: „Ex omnibus, quae tractavimus, Aebuti Liberalis, potest videri nihil tam necessarium, aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum, quam quod in manibus est." Quem locum qua ratione motus in Fragm. ex *Hist.* *li-*

libro sexto collocaverit Cortius, igncrare se scribit Ruhk. Atqui in promtu est animadvertere, quaecunque Sallustii sine certa locorum notatione memorari videret, ea omnia Cortium in sextum librum contulisse.

fortiore fato, i. e. *acriore, quod validius hominem agitet ac verset.* Eodem modo supra II, 4: „ illos fortiter amat."

Non — iter. Sic *Herc. fur.* 437:

„ Non est ad astra mollis e terris via."

Jam Hesiodus hac in re *viae* comparationem adhibuit *Op. et D.* 28:

„ ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει."

Quem locum afferentes Plato et Xenophon ita exhibent: „ λείη μὲν ὁδός·" quae lectio Graevio, Robinsono, Ernestio arrisit. Neque tamen id satis causae esse puto, quare sic Hesiodum scripsisse dicamus: quidni enim in versibus tam crebro memoriter edi solitis, facile fieri potuit, ut insolentius verbum tractu temporis notiori locum cederet? Similis histrionum ἀμνημοσύνη multam in Graecorum tragoediis lectionis varietatem peperit. Nisi forte, quia Cic. *de Sen.* 15. ab Homero Laërten agrum stercorantem induci scribit, ideo necesse sit *Od.* Ω, 227. pro λιστρεύοντα verbum aliud substituere.

sursum — eat. In animo videtur habuisse tempestatem, qualem describit Ovid. *Trist.* I, 2. *vs.* 19. *sqq.*

„ Me miserum! quanti montes volvuntur aquarum!
Jamjam tacturos sidera summa putes.
Quantae diducto subsidunt aequore valles!
Jamjam tacturas Tartara nigra putes."

8 *Ignis aurum.* In Sen. *ac* P. Syri *Sent. vs.* 279. ita exstat:

„ Ignis probat aurum, miseriae fortem probant."

Ubi similia quaedam attulit Grut. *p.* 194. Adde Min. Fel. *Oct. p.* 337. *sq.* „ Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur." Ad amicitiae fidem quomodo traducta sit illa comparatio, videas ap. Grut. *l. c.* et *p.* 63. De justitia disserens Cic. *de Off.* II, 11: „ Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur. De fide Christiana Petrus Apost. *Epist.* I, 1.

comm. 7. „Ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου, τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου, εὑρεθῇ εἰς ἔπαινον καὶ τιμὴν καὶ δόξαν, ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ." Cujus quidem loci interpretationem eam, quam dedit *Ven.* Ruitenschild *Spec. Acad.* (*L. B.* 1825.) *p.* 46, 47, amplecti nequeo. Putat ille τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως posita esse pro πίστις δεδοκιμασμένη. Verum altero loco, ubi phrasis occurrat, Jac. *Ep.* I, 3, vix aliud significare potest, quam ipsam fidei per molestias et aerumnas explorationem, quippe quae dicatur ὑπομονὴν κατεργάζεσθαι· quidni et hoc loco? Neque est quod nos impediat comparativos τιμιώτερον in neut. genere positus: mihi quidem admodum probabile, Petrum ita scripsisse pro τιμιωτέρας, ut ad πίστεως referendum sit; qualis in casibus continuandis negligentia Scriptoribus Sacris argumenti magnitudine plenis haud est infrequens, ut *Apocal.* I, 5. Plura facile suppeditabunt exempla Theologi, quorum bona cum venia facta sit haec in alienum campum digressio.

fortes viros. Passim in hoc libello viri boni, magni et fortes inter se commutantur, ut II, 1, 5, 6. Nempe virorum bonorum et excellentium virtus maxime cernitur in periculis adeundis malisque tolerandis; ea vero est fortitudo.

scies, i. e. *ex illa fastigii virtuti propositi contemplatione statim intelliges, illi* cet. Sententiae veritatem agnovit et Herod. ita Xerxem loquentem faciens VII, 50: „μεγάλα γὰρ πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι."

Ardua. Placuere Senecae *Metamorphoses* earumque versibus, tanquam luminibus, passim orationem suam distinxit, ut *de Ben.* VII, 23, *Nat. Q.* I, 3, II, 44, III, 1, 20. Ex omisso saepe nomine patet, illud opus isto tempore satis hominum manibus tritum fuisse. Poëtarum appellat ingeniosissimum *Nat. Q.* III, 27. §. 12, addita tamen reprehensione. Quorum miror oblivionem cepisse Lipsium, qui *Judic. super Sen. ejusque scriptis p.* IX. tam eum a veteribus abhorrere scribit, „ut vix alium quam Virgilium e poëtis advocet aut Publium." Intelligit autem haud dubie Publium Syrum, quem illo nomine significare solet Seneca.

Enitantur. Elegantior haec lectio videtur et ab Ovidio profecta.

Ne-

Neque tamen eam Senecae contra veteres editt. omnes obtrudere debuisset Ruhk. *Enituntur* ille scribere potuit, ita in Ovidio exstare putans, quo de genere notavi ad § superiorem.

9 *Haec cum — casuro.* Et hic et mox illud verbis explicat Sen. quod silentio significaverat Ovid. nullis patris dehortationibus Phaëthontem absterreri.

est tanti — casuro. Vid. *Not. crit.* Redit eodem interpretatio Lipsii: „Hoc pretio, emam vel cadere." Gron. *Observ.* III, 17. *p.* 581. *sq.* „*Tanti est*, *non est tanti*, formulae sunt, quibus utimur, cum significare volumus aliquod malum vel incommodum magno bono, magno pretio nobilem rem vel mercem, insano labore excellens opus compensari vel non compensari."

violentique. Schott. *violentiaque*, ut ad ora referatur. Illud autem et magis h. l. poëticum videtur, et est in Ovidio.

Post — currus. Haec omnia Mureti, credo, auctoritate Schottus et *Ed. Lov.* omisere. Defendit autem Lips. cujus notam integram apposuisse operae pretium fuerit. „Haec omnia, pessimo sane exemplo, omiserat Muretus. qua causa? quia aliter nempe in Ovidio; nec jus scilicet nostro mutare leviter et suae rei aptare. In quo etiam ingenii laus est, adeo non culpa. In poëta erat, *Finge datos currus:* et a Sole pronunciabatur. noster mutat, sive data opera (quod puto) sive oblivione, et Phaëthonti adscribit. Age pater, inquit, currus quos das et cedis, junge: lubet statim conscendere."

illic stare, in ipso altissimo coeli fastigio. Non sine dilectu verbum hoc usurpasse videtur, siquidem ad popularem opinionem sol adscensu peracto ad medium coelum progressus, ibi licet per brevissimum temporis punctum staret, indeque pergeret ad inferiora. Poterat hoc *stare* dici, quemadmodum ab *ἵστασθαι* locutionem *μεσημβρία σταθερὰ* derivari docuit Ruhnk. *ad Tim. p.* 235. *sq.* In annuo solis cursu similia puncta *solstitia* nominarunt, „quod sol eo die sistere videatur," ut ait Varro *de l. L. l.* V. *col.* 31. ed. Gothofr.

humilis — virtus it. Dubitare possit, haec e Phaëthontis, an e sua persona Scriptor adjecerit. Sed hoc praeferendum videtur, ut in acutum quoddam et magnificum dictum juvenis oratio desinat, ac dein.

deinde mutatis verbis illa repetantur: „ vide quam — vadendum esse."

sectari. Confirmat hanc lectionem locus *Epist. ult. princ.* „ Non est elegantiae tuae, tantum magna sectari."

CAPUT VI.

1 *Quare tamen.* Hujus *capitis* argumentum a Ruhk. sic editur: „ Alios pati mala, ut doceant viri boni, et ipsis discendum est, ea bene pati; nati enim sunt in exemplar." Quae quidem definitio iis, quae apud Sen. legimus, angustior est, et partem tantum *capitis* attingit. Ipse potius ita definiverim: absolutis jam quatuor illis, quas *cap.* 3. proposuerat, partibus, orationis vela pandit, ac variis argumentis, nonnulla quoque ex antecedentibus repetendo id agit, ut Lucilio persuadeat, ne unquam boni viri misereatur: posse enim miserum dici, esse non posse.

Omnia mala. Lips. „ Id est, omnia vere mala." Zeno quidem, ut refert Stob. *Ecl. Eth. p.* 166, *κακὰ* dicebat esse „ *τὰ τοιαῦτα, ἀφροσύνην, ἀκολασίαν, ἀδικίαν, δειλίαν, καὶ πᾶν ὅ ἐστι κακία, ἢ μετέχον κακίας.*" Convenit Diog. Laërt. VII, 95, 102.

scelera et flagitia sic inter se differunt, ut in his magis turpitudo et infamia rei spectetur, in illis animi improbitas.

av. cons. i. e. talia, quae suggerat amor habendi, veluti de clanculum interficiendo eo, cujus hereditatem sperent. Ad ambitionem et ejusmodi cupidines referendum censet Lips. ob sequentia *al. imm. avar.* Me vero non offendit apud hunc scriptorem et in tali enumeratione, verbis aliis ejusdem rei repetitio.

lib. caecam. Aptissimum epitheton ad declarandam libidinis, id est effrenatae cupidinis vim in hominum animos, nullam neque sceleris, nec periculi magnitudinem videntium, dum id, quod concupiscant, assequantur. Est quidem libido voluptati affinis: de ea autem sic Cic. *de Amic.* 12: „ Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica: ac mentis (ut ita dicam) praestringit oculos." Hinc idem *pro Quint.* 26: „ De cujusqnam vita dicere audes, qui hoc concedas necesse est, ita te caecum cupiditate et avaritia fuisse, ut, cum postea quid futurum esset, ignorares, accidere autem multa

ta possent, spem maleficii praesentis in incerto reliqui temporis eventu collocares?" Et *de Fin.* I, 10. haec Torquatum Epicureum dicentem facit: „ At vero eos et accusamus, et justo odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores, et quas molestias excepturi sint, occaecati cupiditate non provident." Item *Tusc.* I, 30: „ qui — se totos libidinibus dedidissent, quibus caecati" cet.

alieno imminentem. Dilecta Senecae phrasis. Ita *Epist.* II, 5: „ Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum pascat, quantum foeneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat?" *Imminere*, si vim verbi spectes, primum dicitur res, quae in eo est, ut in aliam rem jamjam incidat, idque cum proprie, tum figurate, ut saxum, ut accipiter, ut hostis. Inde translatum ad animi cupiditatem talem, quae quasi manibus porrectis oreque inhianti ad arripiendum parata sit. Ita Cic. *pro Mil.* 35: „ plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce, fortunis vestris imminebat."

sarcinas. Ita per contemtum possessiones appellantur, ut a Juven. III, 161:

„ Quis gener hic placuit censu minor, atque puellae
Sarcinulis impar?"

Dictionem *sarcinas servare* bene videtur e Senecae mente interpretari Lips. „ ut loco calonis servulique sit." Erant autem in exercitu σκευοφόροι vilissimum hominum genus, ut apparet e Xenoph. *Anab.* III, 1. §. 30. Similiter ipsa vera sapientis bona rebus externis opponit Boët. *Cons.* I, *p.* 7, 8, ubi sic dicentem facit Philosophiam: „ Qui [pessimorum hominum exercitus] si quando contra nos aciem struens valentior incubuerit, nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit; illi vero circa diripiendas inutileis sarcinulas occupantur."

remittunt, i. e. *hac Deum cura liberant*, *eam ne postulant quidem.* Quod non monerem, nisi Belgicae versionis auctorem Glazemakerum (Amstelod. 1658.) haec ita perverse reddidisse viderem, ac si boni viri curam illam Deo commendarent.

ext. cont. In eandem sententiam Sallust. *de Diis et mundo c.* 9:

„ Εἰ δὲ κακοὶ μὲν εὐτυχοῦσιν, ἀγαθοὶ δὲ πένονται, θαυμάζειν οὐ δεῖ. οἱ μὲν γὰρ πάντα, οἱ δὲ οὐδένος πλοῦτον ποιοῦσι."

Democr. div. proj. Ruhkopfius: „ Fuit autem diversa traditio de hac re: aliis Democritum referentibus utcunque patrimonium suum neglexisse; (Cic. *de finib.* V, 29. Horat. *Epp.* I, 12, 12. Athenaeus IV, 20. *p.* 254. ed. Schäfer. Mitto plures) aliis diviso cum fratribus patrimonio exiguam sibi partem elegisse (Diog. Laert. IX, 35. Aelian. *V. H.* IV, 20.) a quibus noster prorsus discessit, nescio quem secutus." Contra mihi videtur Sen. priores illos secutus esse, verbumqne *projicere* idem valere, quod *negligere* apud eundem *de Vita b.* XXVII, 6: „ Objicite Platoni, quod petierit pecuniam, Aristoteli, quod acceperit, Democrito, quod neglexerit." Item apud Ciceronem *l. c.* ita scribentem: „ cur haec eadem Democritus? qui (vere falsone, quaeremus) dicitur oculis se privasse: certe ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos." Ea vero narratio merito suspecta videri debet. Tacet enim hac de re prorsus, qui tales narratiunculas cupide referre solet, Diog. Laërt. Tum Philo Jud. *de Vita contemplat. p.* 473. ita memorat, ut in fabulis poëticis ponere videatur. Ait enim: „ Ἀναξαγόραν καὶ Δημόκριτον Ἕλληνες ᾄδουσιν, ὅτι φιλοσοφίας ἱμέρῳ πληχθέντες μηλοβότους εἴασαν γενέσθαι τὰς οὐσίας." Narrabant idem de Cratete Cynico, sed falso, ut probabiliter statuit *Doct.* Posthumus *Dissert. de Crat.* (*Gron.* 1823.) *p.* 35, 36. Forsitan utrique affictum est ad similitudinem Anaxagorae, quem agros suos pecori depascendos reliquisse, constans erat veterum narratio. Vid. *Doct.* Schaubach *Anaxag. fragm.* (*Lips.* 1827) *p.* 7, 8. De Democrito, illa traditione ne memorata quidem, ita scripsit Wytt. *Lect. quinque p.* 48: „ Nam cum pater ejus, princeps Abderitarum, amplas et fere regias ei reliquisset opes, quibus vel in otio laute jucundeque vivere, vel in negotio principatum civitatis obtinere posset, maluit eas opes in sapientiae studio, et procul a civium ambitione, longinquis peregrinationibus consumere."

onus illas bonae mentis. Dilecta Senecae dictio *bona mens*, ut significet animum ad sapientiae praecepta compositum, virtuti operam dantem. *Epist.* XXIII, 1: „ Ego vero aliquid, quod et mihi et

tibi

tibi prodesse possit, scribam. Quid autem id erit, nisi ut te exhorter ad bonam mentem?" XXVII, 8: „ Bona mens nec commodatur, nec emitur: et puto, si venalis esset, non haberet emtorem." XLI, 1: „ Facis rem optimam, et tibi salutarem, si, ut scribis, perseveras ire ad bonam mentem." LXXIII, 14: „ Nulla sine Deo mens bona est." Item in *Thyeste* (si modo ea est hujus Senecae) 380:

„ Mens regnum bona possidet."

Tali autem bonae menti divitias impedimento esse, tum sua quemque ratio, tum experientia docet, siquidem ea est hominum natura, ut opibus abundantes facillime fastum et superbiam assumant, avaritiae luxuriaeve sese tradant, animi vero cultum et virtutis studia negligant. Hinc illae et philosophorum veterum et Christianorum Doctorum voces adversus divitias. Teles Pythagoreus ap. Stob. *Serm.* 235. *p.* 772. *sq.* „ ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅτι ὡς ἐπιτοπολὺ οἱ πτωχότατοι φιλοσοφοῦσιν; οἱ δὲ πλούσιοι διὰ ταῦτ' αὐτὰ ἐν πάσῃ ἀσχολίᾳ εἰσίν;" In Secundi τοῦ Σοφοῦ *Sententiis*, *p.* 86. *ed.* Holst. ad quaestionem: „ τί ἐστι πλοῦτος;" haec est responsio: „ χρυσοῦν φορτίον, ἡδονῶν ὑπηρέτης, ἐπιβουλευόμενον πρᾶγμα, ἀπόλαυσις ἀνέκφραστος [ἀνευφράντος e codd. omnino legendum censet Orell. *Opusc. philos. tom.* II], φθόνος συνεσπώμενος, φόβος ἐλπιζόμενος, καθημερινὴ μελέτη, εὐμετάπτωτον πρᾶγμα, φιλούμενον ἀτύχημα, περιπόθητον ταλαιπώρημα, ὑψηλὸν πτῶμα, ἀργυρικὸν σύνθεμα, περιερχόμενον εὐτύχημα." Appuleji locum ad haec Sen. verba laudat Lips. „ Prorsus ad vivendum, ut ad natandum, ille melior, qui onere liberior." Idem Appul. *Flor.* II. *p.* 46, 47. *ed.* Bosschae de Cratete: „ rem familiarem abjicit, velut onus stercoris, magis labori quam usui." Quae citat Wowerus ad illa Minucii Fel. *Oct. p.* 336: „ Igitur ut qui viam terit, eo felicior, quo levior incedit, ita beatior in hoc itinere vitae, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat." Egregie quoque Lactant. VII, 1: „ Eo fit, ut pauperes et humiles Deo credant facilius, qui sunt expediti, quam divites, qui sunt impedimentis plurimis implicati, imo vero catenati et compediti serviunt ad nutum dominae cupiditatis, quae illos inextricabilibus vinculis irretivit: nec possunt in coelum adspicere, quoniam mens eorum

in humum prona terraeque defixa est. Virtutis autem via non capit magna onera portantes." Humanis effatis cumuli loco accedat Divina Christi Domini nostri oratio, quae et alibi legitur et in Marci *Evang.* X, 24, 25: „ Τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν! Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν." Quamquam non ipsas divitias, sed nimium earum amorem regno Dei possessores excludere, Josephi Arimathaei, Cornelii centurionis, aliorum exempla docent.

2 *Filios* cet. Fortasse ex hoc loco imitationem duxit ille, quisquis librum *de Remediis fortuitorum* Senecae supposuerit.

occidant. Lipsio citantur exempla: „ Brutus, Imperiosus, Fulvius, alii." Et de Bruto quidem, qui *natos pater, nova bella moventes, ad poenam pulcra pro libertate vocavit*, nota res est, uti quoque de Manlio Torquato, qui tamen Imperiosi cognomen non ab hac severitate tulit, sed jam patri inditum retinuit. Vid. Dukerus *ad Flor.* I, 14. §. 2. Fulvium autem sine dubio senatorem intelligit, qui filium ex itinere ad Catilinam retractum necari jussit, teste Sallust. *B. C.* 39.

In exsilium. Copiosius in exsilii defensione versati sunt Cicero et Plutarchus. Quorum ille *Tusc.* V, 37: „ Jam vero exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt? in qua aetates suas philosophi nobilissimi consumserunt, Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Lacydes, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panaetius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, innumerabiles alii." Veluti Lycurgus et Pythagoras. Plut. autem *de Exsilio c.* 13. paucos admodum sapientissimorum hominum suis in patriis sepultos esse scribit. Et *c.* 14: „ καὶ γὰρ νῦν οἱ δοκιμώτατοι καὶ κράτιστοι ζῶσιν ἐπὶ ξένης, οὐ μεταστάθεντες, ἀλλὰ μεταστάντες, οὐδὲ φυγαδευθέντες, ἀλλὰ φυγόντες αὐτοὶ πράγματα καὶ περισπασμοὺς καὶ ἀσχολίας, ἃς αἱ πατρίδες φέρουσι."

nati sunt in exemplar. Sic *Epist.* LXVI, 3. de Clarano quodam, condiscipulo suo: „ Claranus mihi videtur in exemplar editus, ut sci-

scire possemus, non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari."

3 *Puta itaque.* Magna saepe cum vi tales prosopopoeiae a veteribus usurpatae sunt. Ita leges expostulantes inducit Plato *Critone c.* 11, patriam Cic. *Catil.* I, 7, fortunam Boët. *Consol.* II. *p.* 26.

Aliis bona. Comparari potest Arr. III, 17, ubi malos argento, bonos contra rebus excellentioribus esse divites ostendit Epictetus.

circumdedi. Ad hoc verbum Casaub. *annot. ms.* „ Graeci περιβολὴν vocant externa haec bona."

inanes, id est *leves*, *illa magni facientes*, *in quibus parum est momenti ad vitam beatam.*

pro fel. i. e. *tanquam felices*, ut Plaut. *Poen.* III, 1. *vs.* 25.

„ Neque nos populus pro cerritis insectabit lapidibus."

Istud hominum genus quale sit, saepius egregie Seneca demonstravit. Ita *de Vita b.* III, 1: „ Quin potius quaero aliquid usu bonum, quod sentiam, non quod ostendam. Ista quae spectantur, ad quae consistitur, quae alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt. Quaeramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum et aequale, et a secreta parte formosius." Item *Epist.* LXXX, 6. *sqq.* „ Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis et suppurata tristitia: et quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros: sed inter aerumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem." Sequitur histrionum comparatio, qui quamvis magnifice in scena locuti, tenuissimo tamen victu utantur. „ Idem," inquit, „ de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos, si despoliaveris."

non qua occ. sed qua lat. i. e. *non a parte vulgi oculis objecta*, *sed a parte secretiore.*

miseri sunt. In Stoicorum veterum doctrina Stob. *Ecl. eth. p.* 179. hoc quoque commemorat: „ τῶν τε ἀγαθῶν μηδενὸς μετέχειν τοὺς φαύλους."

sordidi. Ita *de Vita b.* XIX, 2. id genus homines alloquens, *sordes* iis objicit.

ad sim. par. s. e. c. Romani lautiores parietes suos vel gypso dealbare, vel marmoris lapidisve pretiosi lamina inducere solebant. Citat hac de re Ruhk. locum Athenaei IV, 13. *p.* 226. *ed.* Schäf. Eodem referenda duo e *Fragmentis* Epicteti, alterum *p.* 758. *ed.* Upt. „ Τῷ [legere malim Τὸ] *μὲν γύψῳ λευκανθίζουσαν σπουδάζειν θαυμάζεσθαι τὴν οἰκίαν, ἀπειροκάλου· τὸ δὲ ἦθος χρηστότητι κοινωνίας λαμπρύνειν, φιλοκάλου τε ἅμα καὶ φιλανθρώπου.*" Alterum *p.* 768: „ *Μὴ τοῖς τῆς ἐξ Εὐβοίας καὶ Σπάρτης λίθοις τοὺς τοίχους τῇ κατασκευῇ ποίκιλλε· ἀλλὰ γὰρ τῇ ἐκ τῆς Ἑλλάδος παιδείᾳ τὰ στέρνα τῶν πολιτῶν καὶ τῶν πολιτευομένων διακόσμει.*" Item Senecae locus huic apprime conveniens, *Epist.* CXV, 9, 10: „ Miramur parietes tenui marmore inductos, cum sciamus, quale sit, quod absconditur: oculis nostris imponimus. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro foeda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue praetenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est. Inspice, et disces, sub ista tenui membrana dignitatis quantum mali lateat." Est comparatio ejusmodi, ut Senecae, tali ingenio dicendique consuetudine, facillime in mentem venire debuerit. Ut autem hic ad falsam felicitatis speciem, ita Paulus eam traduxit ad pietatis simulationem, ut refert Lucas *Act. Apost.* XXIII, 3, ad quem locum adhibeantur Valcken. *Scholae sel. in N. T. p.* 589. *sq.* Similis oratio Christi Servatoris ap. Matth. XXIII, 27, 28: „ *Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις, οἵτινες ἔξωθεν μὲν φαίνονται ὡραῖοι, ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ὀστέων νεκρῶν καὶ πάσης ἀκαθαρσίας. Οὕτω καὶ ὑμεῖς ἔξωθεν μὲν φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι, ἔσωθεν δὲ μεστοί ἐστε ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας.*" Affert ad eum locum Grotius Diogenis, ut ipse ait, dictum, sed quod legitur etiam in Demophili Pythagorei *Similitud. p.* 18. *ed.* Holst. „ *Τῆς ἀλαζονείας, καθάπερ τῶν κεχρυσωμένων ὅπλων, οὐχ ὅμοιά ἐστι τὰ ἐντὸς τοῖς ἐκτός.*" Ubi non intelligo, quamobrem *ὅπλα* in recentissima Grotiani operis editione (quam Grotiani nominis heredi cuidam deberi audio) redditum sit *pocula*, cum *arma* potius intelligi videantur inaurata, majus pretium colore suo mentientia.

crus-

crusta. Verbum ductum, ut et Ruhk. observavit, ex eadem illa parietum comparatione. Quam enim loco paulo ante citato *bracteam* et *membranam*, eandem *crustam* dicit *de Ben.* IV, 6. §. 2, ubi de Deo: „ Ingens tibi domicilium sine ullo incendii aut ruinae metu struxit, in quo vides non tenues crustas, et ipsa qua secantur lamina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi moles."

4 *stare.* Referendum ad eandem parietum similitudinem; qui quamdiu stant, latet interioris materiae foeditas. — Alia festiva comparatione rem illustrat *Epist.* LXXVI, 23. *sq.* „ Nemo istorum, quos divitiae honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Cum basi illum sua metiris. Non est magnus pumilio, licet in monte constiterit: Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore: sic nobis imponitur: quod neminem aestimamus eo quod est, sed adjicimus illi et ea, quibus adornatus est." Apposite Lips. locum affert Demosthenis de Philippo: „ Ἀλλ' οἶμαι, νῦν μὲν ἐπισκοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν. αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη. εἰ δέ τι πταίσει, τότε ἀκριβῶς αὐτοῦ πάντ' ἐξετασθήσεται."

certa videntur opponi *falsis* supra memoratis. Eodem sensu vocabulum occurrit *Epist.* LXXVI, 5: „ Unum enim est bonum, quod honestum; in illis nihil invenies veri, nihil certi, quaecunque famae placent."

mansura. Cogitavit hunc fortasse locum Augustinus ita scribens: „ Bona sunt, quae habes; esto et tu bonus inter bona tua. Esto bonus mansurus inter bona peritura." Qui locus affertur a Gatak. ad Anton. VIII, 1. De quo Imperatore scribit Herodianus I, 2, eum in generis suis requisivisse morum honestatem vitaeque temperantiam: „ ταῦτα γὰρ μόνα ψυχῆς ἴδια καὶ ἀναφαίρετα ἡγεῖτο κτήματα." Neque tamen hac de re, possitne bonus aliquando malus evadere, par fuit veterum philosophorum sententia. Plato quidem et Aristoteles amitti posse virtutem et sapientiam existimabant, non tamen, nisi gravi mutatione per morbum aliamve causam illata. Item Chrysippus sapienti virtutem eripi posse statuebat, eo potissimum argumento usus, quod sapientes nonnunquam in ebrietatem et furorem inciderent. Contra negabat Cleanthes.

thes. Vid. Diog. L. VII, 127, ibique Menag. Negavit et Cic. *Tusc.* II, 14: „virtutem autem si unam amiseris: etsi amitti non potest virtus; sed si" cet. *Ib.* IV, 14: „Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt." Placuit idem Senecae, cujus excitat locum Menag. ex *Epist.* L, 8: „eo majore animo ad emendationem nostri debemus accedere, quod semel nobis traditi boni perpetua possessio est. Non dediscitur virtus." Consentit Demophilus Pythagoreus *Similit.* p. 22: „*Αἱ μὲν ἐσθῆτες γινόμεναι διάλαμπροι πάλιν ἐν τῇ χρήσει ἀναπίμπλανται ῥύπου· αἱ δὲ ψυχαὶ ἅπαξ ἀποκαθαιρόμεναι τὴν ἀμάθειαν διαπαντὸς μένουσι λαμπραί.*"

quanto magis. Est igitur illud bonum „solidum et aequale et a secretiore parte formosius," ut ait *de Vita b.* III, 1.

permisi — fastidire. Haec sunt illa bona certa, mansura, quae mox inde laudat, quod non fulgeant extrinsecus. Itaque locus paulo aliter interpungendus videtur, hoc modo: *majoraque: permisi vobis, metuenda contemnere, cupiditates fastidire. Non fulgetis extrinsecus; bona vestra* cet.

metuenda contemnere. Supra III, 11: „cum quo metuenda collideret," i. e. ea, quae vulgus hominum metuenda sibi ducit, ut paupertatem, ut dolorem, ut mortem. Talia, tanquam inania terriculamenta, *contemnere* magni profecto est animi. Unde philosophis in hujusmodi constantia memoranda commendandave solenne verbum *contemnere.* Sic Cic. *de Sen.* 19: „O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non viderit!" Idem *Tusculanarum* primam inscripsit *de contemnenda morte.* Potuerunt hoc multi veteres, sive taedio vitae, sive famae studio, sive patriae amore ducti: quanto majus autem illud, quod de Christo legimus *Epist. ad Hebr.* XII, 2, crucem Eum tolerasse, *contemta ignominia!*

cup. fastidire. Contraria, nec minor, sapientis laus e Stoica doctrina. Epict. quidem *Enchir.* 21. convivio vitam assimilans: „*ἂν δὲ καὶ παρατεθέντων σοι μὴ λάβῃς, ἀλλ' ὑπερίδῃς, τότε οὐ μόνον συμπότης τῶν θεῶν ἔσῃ, ἀλλὰ καὶ συνάρχων.*" Antoninus V, 15. nihil externarum rerum ad hominem pertinere docet hoc etiam argumento, quod „*εἴ τι τούτων ἦν ἐπιβάλλον τῷ ἀνθρώπῳ,*

οὐκ

οὐκ ἂν τὸ ὑπερφρονεῖν αὐτῶν, καὶ κατεξανίστασθαι ἐπιβάλλον ἦν· οὐδὲ ἐπαινετὸς ἦν, ἀπροσδεῆ τούτων ἑαυτὸν παρεχόμενος." Ubi Gatak. locum affert Longini *de Sublim.* VII, 1: „ οὐδὲν ὑπάρχει μέγα, οὗ τὸ καταφρονεῖν ἐστι μέγα, οἷον πλοῦτοι, τιμαὶ, δόξαι, τυραννίδες, καὶ ὅσα δὴ ἄλλα ἔχει πολὺ τὸ ἔξωθεν προστραγῳδούμενον."

introrsus. Ita *Epist.* XXIII, 4. de gaudio loquitur solido, „ quod plus pateat introrsus." Et *Epist.* CXIX, 12. ait: „ Omnium istorum felicitas in publicum spectat: ille, quem nos et populo et fortunae subduximus, beatus introrsum est." In eandem sententiam Anaxagorae dictum commemorat Valer. Max. VII, 2. *ext.* §. 9.

Sic mundus. Modus huic scriptori frequens, ut ipsa re memorata tum comparationem subjiciat. Ita supra IV, 11: „ Sic sunt nauticis" cet. — Quod autem ad hancce comparationem attinet, *mundum* hic, ut saepius ap. Senecam, significare puto coelum stellis ardentibus aptum. Nam aliae, quas huic voci Stoici tribuebant, significationes a Gatakero memoratae ad Anton. IV, 23, non huc arcessendae videntur. Coelum igitur mille tanquam oculis introrsum spectat, ut exteriora quasi contemsisse videatur. Apte itaque comparatur viro miratori tantum sui, quemadmodum ait *de Vita b.* VII, 2. Quo loco §. 3. paulo aliter in eadem re usurpatur coeli in exteriora tendentis, sed per formam globosam undique in se redeuntis similitudo. — Lips. et Ruhk. parum hic lucis afferunt: monent tantum ad *exteriora:* „ ubi vacuum infinitum."

intus, i. e. *in animo.* Eleganter hac voce eodem sensu poëta nostras Joannes Sixius usus est in duobus poëmatiis allatis a *Cl.* Siegenbeekio *Mus.* III. *p.* 208. *sq.* Alterum, quod fecit in imaginem Petri Sixii fratris, ut videtur, sui; sic desinit:

„ non multum abludit imago,
Quae, quid et exterius, quid sit et intus, habet."

Alterius argumentum item est effigies Tulpii, quem his ornavit versibus:

„ Amstelidum consul, medicae lux Tulpius artis,
Ter duodenorum gloria prima Patrum,
Alba licet superet crinis candore ligustra,

N Ore

Ore nives, animo candidiore viget.
Felici effigie vultus dum pectora monstrat;
Quid sit et exterius, quid sit et intus, habet."

De re et Stoicorum sententia vid. Gatak. ad Anton. II, 11. p. 48, VII, 59, ubi praeclare Imperator: „Ἔνδον βλέπε, ἔνδον ἡ πηγὴ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ ἀεὶ ἀναβλύειν δυναμένη, ἐὰν ἀεὶ σκάπτῃς." *non egere — est.* Enumerantur *Epist.* XC, 34, 35. ea, quae sapiens investigatione sua in lucem protraxerit, inque iis etiam hoc: „felicissimum esse, cui felicitate opus non est." In eandem sententiam egregius est locus Arriani IV, 8: „Ὅταν ἄλλον ἴδῃς ἄρχοντα, ἀντίθες, ὅτι σὺ ἔχεις τὸ μὴ δεῖσθαι ἀρχῆς· ὅταν ἄλλον πλουτοῦντα, ἴδου τί ἀντὶ τούτου ἔχεις· εἰ μὲν γὰρ μηδὲν ἔχεις ἀντ' αὐτοῦ, ἄθλιος εἶ· εἰ δ' ἔχεις τὸ μὴ χρείαν ἔχειν πλούτου, γίνωσκε ὅτι πλεῖον ἔχεις, καὶ πολλῷ πλείονος ἄξιον. Ἄλλος γυναῖκα εὔμορφον· σὺ τὸ μὴ ἐπιθυμεῖν εὐμόρφου γυναικός." Contra Antonino judice IV, 29. „πτωχὸς ὁ ἐνδεὴς ἑτέρου, καὶ μὴ πάντα ἔχων παρ' ἑαυτοῦ τὰ εἰς τὸν βίον χρήσιμα." Ubi nonnulla Gatak. annotavit. Similia quaedam attulerunt *Interpr. ad* Aelian. V. H. IX, 29. Tum Holstenius ad Demoph. *p.* 113. hocce memorat paradoxon Stoicum e Procli *in Timaeum Comment.* I. *p.* 61: „τὸν σπουδαῖον οὐδὲν δεῖσθαι τῆς τύχης," ut pro vulgato ψυχῆς legit Holst. Et hoc est illud placitum, virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam, quo nihil esse omnium, quae in philosophia tractentur, quod gravius magnificentiusque dicatur, judicabat Cic. *Tusc.* V, 1. Itaque in eo confirmando cum totus ille liber, tum *Paradoxon* 2. ab eo consumtum est. Alieni tamen ab ea sententia fuere Panaetius et Posidonius. *Vid.* Lynd. *de Pan.* p. 77. *Cl.* Bakius *de Posid.* *p.* 189. *sq.*

5 *Quia non poteram.* Quare non poterat? ratio reddita supra V, 7: „Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt." De qua Senecae sententia satis acerbe judicat Mericus Casaub. ad Anton. II, 11: „Quorsum spectent haec et quam pie sapienterque ab Antonino ita statuantur, intelligunt illi, qui frequentes philosophorum veterum et recentiorum cujuscunque disciplinae, sed et historicorum aliorumque scriptorum, de materiae, quam Deus emendare non potuerit (ita enim passim loquun-

quuntur) imbecillitate et pravitate querelas observarunt. Ex antiquioribus (nam ab illis opinor caeteri plerique) Platonem in Timaeo, et Locrum ipsum περὶ φύσιος nominasse sufficiat. Senecam vix excuso, qui toties id ingerit, cujus pudere sanae mentis philosophum debuit." Epicteti locum huc tendentem aliaque Senecae Gatak. ibidem attulit. Longe melius Imperator ipse, qui *l. c.* dolorem ac voluptatem, paupertatem ac divitias, aliaque ejusdem generis nec bona nec mala esse inde demonstrat, quod universi Natura sive Deus neque per ignorantiam, neque *per imbecillitatem* (παρ' ἀδυναμίαν) ita peccaturus fuisset, ut vere bona et mala promiscue bonis hominibus et malis acciderent.

hoc est — supra patientiam. Ruhk. „ quatenus nulla mala pati potest: vos vero pati potestis, at supra ea vos tollendo hac parte deum anteceditis." Similis in harum particularum usu subtilitas *Epist.* XXVI, 9: „ qui mori didicit, servire dedidicit: supra omnem potentiam est, certa extra omnem." — Recte ad h. l. Muretus: „ Haec vero intoleranda Stoicorum arrogantia est. Parum putarunt, sapientem suum cum deo conferre: etiam anteposuerunt. Haec monstra opinionum perterrefacere nos debent, ne unquam ingenio nostro confisi, quidquam de rebus divinis temere aut statuere, aut pronuntiare audeamus." Ne Lipsio quidem ista placuerunt ita quaerenti: „ Superbe, an stulte? Si discerni nos ita a Deo dixisset, recte: at illum anteiri, impie. Et sunt istae voces Stoicae μεγαληγορίας, qua me volente abstinuissent. Vide Manuduct. III. Dissert. XIV.". Multa possemus hic Senecae effata congerere, quibus aut parem, aut superiorem Deo sapientem suum facit; sed opere levavit et dicto loco Lips. et *Cl.* v. Limb. Brouw. *Disput. laud. p.* 124. Unum illud ex *Epist.* LIII, 12. ut arrogantiae culmen attingit, ita loco, quem tractamus, inprimis convenit: „ Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum; ille naturae beneficio non timet, suo sapiens. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei!" Quae quidem ejusmodi sunt, ut frustra Stoicorum hac in re defensionem suscepisse videatur Ruhkopfius.

nemo — natus est. Videtur haec esse sententiae vis: tantum abest, ut quisquam rebus necessariis egeat, ut omnes potius in abundan-

tia quadam vivant, et paucioribus etiam contenti esse possent: natura enim, ut ait *Epist.* XX, 11, nobis minimum constituit. „ Nemo nascitur dives. Quisquis exit in lucem, jussus est lacte et panno esse contentus." Quae tamen disputatio quam parum valeat ad paupertatis sensum levandum, quis non videt? Ut jure mireris Minucium Felicem *Oct. p.* 336, qui post alia longe probabiliora pro paupertate dicta, jam veluti gravissima ratione rem confecturus addit: „ Dicam tandem quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est."

aut solvetur aut solvet. Ut multa Epicuri Seneca probavit, ita et illud de dolore: *si gravis, brevis; si longus, levis;* de quo copiose Gatak, ad Anton. VII, 33. Plene illud explicuit *Epist.* LXXVIII, 16, 17: „ Utrum vis longum esse morbum, an concitatum et brevem? Si longus est, habet intercapedinem, dat refectioni locum, multum temporis donat: necesse est, ut exsurgat et desinat. Brevis morbus ac praeceps alterutrum faciet; aut exstinguetur, aut exstinguet. Quid autem interest, non sit, an non sim? in utroque finis dolendi est." E cujus loci comparatione patet, hoc effatum *aut solvetur aut solvet* tantummodo de altera dilemmatis parte, de dolore gravi, sed brevi intelligendum esse. Simillimum Gatak. affert Sexti Empirici dictum *adv. ethic. c.* 5. *edit. Genev. p.* 464. B: „ *Πόνος ὁ μὲν ἀκρότατος, καὶ εἰ τὰ μάλιστα ταρακτικώτατος, ἀλλάτοιγε πρὸς ἀκαρὲς, ἀστραπῆς τρόπον, δειματώσας, ἢ ἀναιρεῖ ἢ ἀναιρεῖται.*"

nullum — dedi. Casaub. *annot. ms.* dictum apposuit Epicuri ap. Laërt. „ *βραχεῖα σόφῳ τυχὴ παρεμπίπτει,*" sic redditum a Cic. *de Fin.* I, 19. *Tusc.* V, 9. fortunam exiguam intervenire sapienti. Verum si attendimus in hac tota pericopa de paupertate, de dolore, de morte sic disputari, ut non ad sapientes tantum, sed ad omnes argumentatio pertineat, haec quoque de fortuna verba communiter erunt intelligenda. Sensus igitur: potest fortuna telis suis domum, rem familiarem, corpus ferire; quod autem ad animum penetret, nullum illi telum datum est. In eandem sententiam scribit *Epist.* LXV, 21, 22: „ Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter adspicio, quam vinculum aliquod libertati meae circumdatum. Hoc ita-

itaque oppono fortunae, in quo resistat; nec per illud ad me ullum transire vulnus sino. Quidquid in me potest injuriam pati, hoc est: in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat." Item *Epist.* XCVIII, 2: „Errant enim, mi Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali judicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac malorum, et initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus est: in utramque partem ipse res suas ducit, beataeque ac miserae vitae sibi causa est."

aut finit aut transfert. Saepius hoc dilemmate Senecam usum videmus, veluti *Consol. ad Polyb.* XXVII, 4, 5, ubi illum de fratris morte sic semet ipsum alloquentem facit: „Si illius nomine doleo, necesse est alterutrum ex his duobus esse judicem. Nam si nullius defunctis sensus superest, evasit omnia frater meus vitae incommoda, et in eum restitutus est locum, in quo fuerat, antequam nasceretur, et expers omnis mali, nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iste est furor, pro eo me nunquam dolere desinere, qui nunquam doliturus est? Si est aliquis defunctis sensus, nunc animus fratris mei, velut ex diutino carcere emissus, tandem sui juris et arbitrii gestit et rerum naturae spectaculo fruitur, et humana omnia ex superiore loco despicit, divina vero, quorum rationem tamdiu frustra quaesierat, propius intuetur. Quid itaque ejus desiderio maceror, qui aut beatus, aut nullus est? beatum deflere, invidia est: nullum, dementia." Similiter *Epist.* XXIV, 18: „Mors nos aut consumit aut exuit. Emissis meliora restant, onere detracto: consumtis nihil restat; bona pariter malaque submota sunt." *Epist.* LXV, 25: „Mors quid est? aut finis aut transitus. Nec desinere timeo; idem est enim, quod non coepisse: nec transire; quia nusquam tam anguste ero." Denique *Epist.* LXXI, 15: Animus magnus „aut in meliorem emittitur vitam, lucidius tranquilliusque inter divina mansurus: aut certe sine ullo futurus incommodo, naturae suae remiscebitur, et revertetur in totum." De quibus locis ita sentit Wytt. *Disput. Teyl. de immort. an. Opusc. p.* 656, ea non ipsius continere sententiam, sed ad eorum, quibus scriberet, personas accommodata esse, similiter atque Cic. fecisset in *Tusc.* I: Senecae quidem ipsi firmiter

ter persuasum fuisse de animo post mortem superstite. Quod mihi secus videtur. Ut enim illam interpretationem admitti posse concedam in *Consolatione*, ad oratorium ornatum composita, quin etiam in hoc *de Provid.* libro, longe diversa mihi videtur esse ratio *Epistolarum*. Has enim, ut et supra in quaestione de Deo uno monui, Philosophus ad Lucilium familiarem aperte et ex animi sensu scripsit. Arguit hoc tum universus earum color et habitus, tum ea, quae testatur ipse *Epist.* LXXV, 1: „ Qualis sermo meus esset, si una sederemus, aut ambularemus, illaboratus et facilis: tales esse epistolas meas volo, quae nihil habeant arcessitum, nec fictum. — Hoc unum plane tibi approbare vellem, omnia me illa sentire quae dicerem." Quapropter si modo vera ejus sententia reperiri a nobis et informari potest, optime poterit ex *Epistolis*. Harum igitur quaecunque loca quaestionem hanc attingerent, iis expensis et inter se collatis talia didicisse mihi videor. Ubi divinam animi naturam cogitaret, aut in virorum sapientium rediret memoriam, eam aliquando spem concepit, horum quidem animos his tenebris emissos, in coelum ire. Sic *Epist.* LXXIX, 10: „ Tunc animus noster habebit, quod gratuletur sibi, cum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexit, sed totum diem admiserit, et redditus coelo suo fuerit, cum receperit locum, quem occuparit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic, etiam antequam hac custodia exsolvatur, cum vitia disjecerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit." *Epist.* LXXXVI, 1. de Scipione Africano Majore: „ Animum quidem ejus in coelum, ex quo erat, redisse persuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit; —— —— sed ob egregiam moderationem pietatemque." *Epist.* CII, 22. *sqq.* ita praedicantem facit animum humanum: „ Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam: ipse me Diis reddam. Nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor. Per has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur. Quemadmodum novem mensibus nos tenet maternus uterus, et praeparat non sibi, sed illi loco, in quem videmur emitti, jam idonei spiritum trahere, et in aperto durare, sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturae maturesci-

mus partum. Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum coelum, nisi ex intervallo, pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori." Et §. 25: „Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, aeterni natalis est." Denique *Epist.* CXX, 15: „Maximum, inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab altiori venientis sede, si haec, in quibus versatur, humilia judicat, et angusta, si exire non metuit. Scit enim quo exiturus sit, qui, unde venerit, meminit." — Magnifica sane, nisi plura inveniremus, quae ostenderent, quam imbecilliter ista crediderit. Saepius enim dubitanter hac de re loquitur, ut *Epist.* LVII, 6, ubi, si animus superstes sit corpori, nullo mortis genere immortalitatem illam impediri statuit, sed de illo quaerendum, „an possit immortalis esse." Item *Epist.* LXIII, 13. de Sereno mortuo: „Cogitemus ergo, Lucili carissime, cito nos eo perventuros, quo illum pervenisse moeremus. Et fortasse, si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis, quem putamus perisse, praemissus est." Similiter *Epist.* LXXVI, 19: „Adjice nunc, quod, si modo solutae corporibus animae manent, felicior illis status restat, quam est dum versantur in corpore." Neque dubito principium *Epist.* CII. huc advocare, non propter *somnii* vocabulum, de quo videndus Wytt. *l. c. p.* 658. *sq.* sed quoniam inde patet, quam facile illa spes ejus animo elaberetur. „Quomodo," inquit, „molestus est jucundum somnium videnti, qui excitat; aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen verae habentem: sic epistola tua mihi fecit injuriam. Revocavit enim me cogitationi aptae traditum, et iturum, si licuisset, ulterius. Juvabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercule credere. Credebam enim me facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantae. Jam eram fastidio mihi, jam reliquias aetatis infractae contemnebam, in immensum illud tempus, et in possessionem omnis aevi transiturus: cum subito experrectus sum, epistola tua accepta, et tam bellum somnium perdidi: quod repetam, si te dimisero, et redimam." Verum illa spes quam infirma fuerit, nusquam magis apparet, quam ubi animum ipse suum adversus mortis metum obfirmare studet: cum

enim

enim Senecam non ab aeternitatis spe, sed aliunde solatia petere videmus. In quo genere memorabilis in paucis *Epist.* XXX, ubi Bassi orationem, quippe profectam ab homine, qui mortem leniter exspectaret, multum sibi profuisse scribit. Cujus orationis caput fuit: „An quisquam hoc futurum credit, ut per quam nihil sentitur, ea sentiatur? Ergo, inquit, mors adeo extra omne malum est, ut sit extra omnem malorum metum." Haec igitur vehementer approbat §. 5, geminaque iis ipse docet *Epist.* XXXVI, 9: „Mors nullum habet incommodum. Esse enim debet aliquid, cujus sit incommodum." Quin age contemplemur ipsum suspirio laborantem, quibus se consolationibus erigit? Legimus *Epist.* LIV, 2. *sqq.* „Ego vero et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus acquiescere. Quid hoc est? inquam: tam saepe mors experitur me? faciat. At ego illam diu expertus sum. Quando, inquis? antequam nascerer: mors est, non esse id quod ante fuit. Sed quale sit, jam scio; hoc erit post me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est, et fuisse antequam prodiremus in lucem: atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo, non stultissimum dicas, siquis existimet lucernae pejus esse cum exstincta est, quam antequam accenderetur? nos quoque et accendimur, et exstinguimur; medio illo tempore aliquid patimur; utrimque vero alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quod mortem judicamus sequi, cum illa et praecesserit, et secutura sit. Quidquid ante nos fuit, mors est. Quid enim refert, utrum non incipias, an desinas? utriusque rei hic est effectus, non esse. His et hujusmodi exhortationibus, tacitis scilicet (nam verbis locus non erat) alloqui me non desii." Quod si talia tum cogitavit, cum ipse mortem quasi jam instantem cerneret, et hinc et e reliquis locis allatis id non sine ratione confidas, aegre Senecam iis annumerari posse, qui de animorum immortalitate firmam persuasionem habuerint. — Certius hac de re sententiam declaravit Cic. praeclaro illo *Catonis Majoris* exitu inde a *c.* 21. quamquam idem illud dilemma *mors nos aut finit aut transfert* adhibuit et ornavit ib. *c.* 19. et *Tusc.* I, 11, 49. Adhibuit et Anton. V, 3. VIII, 32. VIII, 25, 58.

6 *Ante omnia cavi.* Lipsius: „Auctor Thebaidos, divini poëmatis:

——— optime hoc cavit Deus,
Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem. mille ad hanc aditus patent."

Plurima sunt in hanc sententiam Senecae effata: memoremus unum ex *Epist.* XII, 10: „Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere, necessitas nulla est. Quidni nulla sit? patent undique ad libertatem viae multae, breves, faciles. Agamus Deo gratias, quod nemo in vita teneri potest." Geminum illud Epicteti ap. Arr. I, 9, 24, 25. II, 1. „ὅτι ἡ θύρα ἤνοικται." De quo vid. Rossalius *Disquis. qua probatur Epictetum non fuisse Christianum*, c. XV–XVII. Stoicorum placitum uberius exposuit, idemque cum aliorum, tum Augustini verbis egregiis refutavit Gatak. ad Anton. III, 1. Federus quoque praecipuas hoc de loco veterum sententias recensuit in *Exercit. de morte volunt.* §. II, III, quam *Syntagmati* suo cum insereret Polyhistor ille Tydemannus, in *Epist. dedic. p.* C, *sq.* complures, a quibus idem argumentum tractatum sit, enumerat recentiores. Quibus addi potest disputatio, quam isto loco vix quaeras, Ampzingii in libro vernaculo: *Beschryvinge ende lof der Stad Haerlem*, *p.* 227–230. Denique nonnulla lectu digna praebet liber, qui inscribitur *Hollandsche Spectator*, *vertoog* CLXXIV, ubi quid adversus *αὐτοχειρίαν* Christiana Religio praesidii suggerat, egregie proponitur, ac disceptatur quaestio, num ea exempla in scenis exhibere liceat.

quas — volui. Dicit eas Cic. *de Sen.* 2, „quod naturae necessitas afferat." Suadent autem sequentia, ut Senecam h. l. imprimis cogitasse censeamus de tempore, quo nascitur homo.

trahitur. Vera videtur lectio, Senecae ingenio conveniens, bene sic a Lipsio explicata: „Si probum verbum, acumen in eo, quod animam prono et declivi loco esse velit, lapsuram sponte, nisi identidem trahatur. Nonne hoc fit, cum reciprocamus? nam alioqui abeat, et emanet. Dubitavi tamen, an non *traditur*, uti dicat, non pellenda est, sed dumtaxat mittenda et tradenda. Et ita sane loquitur, *tradere animam ac spiritum.* Noster de Irâ III. cap.

XIX. [At hoc etiam ex ejus conjectura: codd. *trahere.*] An etiam, *truditur?* videant sagaciores Critici."

ad libertatem. Dilecta Senecae sententia. Sic *de Ira* III, 15. §. 4: „Quocunque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum praecipitem locum? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? effugia servitutis sunt. Nimis tibi operosos exitus monstramus, et multum animi ac roboris exigentes. Quaeris, quod sit ad libertatem iter? quaelibet in corpore tuo vena." *Epist.* XXVI, 9: „Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet. Qui mori didicit, servire dedidicit: supra omnem potentiam est, certe extra omnem. Quid ad illum carcer et custodia et claustra? liberum ostium habet. Una est catena, quae nos alligatos tenet, amor vitae." *Nat. Q.* III. *Praef.* 14: „Quid est praecipuum? In primis labris animam habere. Haec res efficit non e jure Quiritium liberum, sed e jure naturae."

Non tam. Eodem consilio discrimen hoc attingitur *Epist.* LXX, 12: „Nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos." Diverso *Nat. Q.* III, 27. §. 3: „Quam longo tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perduret infans! quantis laboribus tener educatur! quam diligenti nutrimento obnoxium novissime corpus adolescit! at quam nullo negotio solvitur!"

tenuisset, i. e. *obtinuisset*, *nacta fuisset;* quo sensu Liv. IV, 3. Servium Tullium dicit virtute regnum tenuisse. Quod ad rem, simile illud *Epist.* LXX, 6: „Ego cogitem, in eo, qui vivit, omnia posse fortunam, potius quam cogitem, in eo, qui scit mori, nihil posse fortunam?" Satis magnum tamen fortunae regnum tribuit *Cons. ad Marc.* X, 4, 5: „In regnum fortunae, et quidem durum atque invictum pervenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri. — Ut varia et libidinosa manciplorumque suorum negligens domina, et poenis et muneribus errabit."

si homo. Simili dictionis forma *Epist.* XCI, 6: „Esset aliquod imbecillitatis nostrae solatium, rerumque nostrarum, si tam tarde peri-

ri.

rirent cuncta, quam fiunt: nunc incrementa lente exeunt, festinatur in damnum."

7 *renuntiare naturae.* Dictio sumta videtur a repudio, ut et putavit Lips. ita explicans: „Nuncium naturae mittere, qui significet te conditione aut munere ejus non ultra uti." Erat autem repudii formula: „conditione tua non utor." Et solenne fuit in illa re verbum *renuntiare*, quod inde ea aetate usurparunt pro *vale dicere*, *relinquere*. Ea inquam aetate: quem enim Ciceronis locum *de Orat.* I, 53. huc retulit Schellerus V. is locus aliter intelligi potest, ut sit: ne Stoici tali nuntio accepto indignarentur, hominem suae sectae addictum humilius se gessisse. Senecae vero temporibus eam, quam dixi, vim verbo tribuerunt, ut ipse *Nat. Q.* VI, 1. §. 9: „qui Campaniae renuntiavere." Suet. *de cl. Rhet.* 6: „Postea renuntiavit foro."

impingere, i. e. *naturae invitae et repugnanti reddere.* Munus naturae vitam intelligit.

dum optatur vita. Sacrificiis preces apud veteres addi solitae. Quarum, apud Graecos quidem, nonnullas dictas fuisse ζωοποιοὺς, monet Lakemacherus *Antiq. Gr. sacr. p.* 411.

exiguo conc. vuln. Lips. ait: „securi percussa, vel etiam malleo." Videtur tamen hic de securi modo cogitandum; malleus enim non vulnus, sed contusionem facit.

magn. vir. anim. Hoc loco magis assentior Lipsio, designari elephantos: „quod," inquit, „et verba ea mox dicunt, *tanta illa moles.* Hos subito interficere inventum ab Hasdrubale, illo magni ducis fratre, quia videbat auxilium, sed anceps esse: et saepe consternatione aliqua in suos saevire." Refert deinde Livii locum, sed memoriter: plenius ita legitur XXVII, 49: „Elephanti plures ab ipsis rectoribus, quam ab hoste, interfecti. Fabrile scalprum cum malleo habebant: id, ubi saevire belluae ac ruere in suos coeperant, magister inter aures positum, ipso in articulo, quo jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat ictu, adigebat. Ea celerrima via mortis in tantae molis bellua inventa erat, ubi regendi spem vicissent." Addit Lips. de Persis idem factitantibus Ammiani Marcellini testimonium XXV, 1: „Quibus insidentes magistri manubriatos cultros dexteris manibus illigatos gestabant,

ac-

acceptae apud Nisibin memores cladis: et si ferociens animal vires exsuperasset regentis, ne reversum per suos, ut tunc acciderat, collisam sterneret plebem, vertebram, quae caput a cervice disterminat, ictu maximo terebrabant. Exploratum est enim aliquando ab Hasdrubale Hannibalis fratre, ita citius vitam hujusmodi adimi belluarum." Ubi *vertebram* legendum esse, non ex aliis codicibus, *venam*, docet Livii Senecaeque *articulus*. Huic quidem Liviana ob oculos fuisse, non obscuris deprehendimus vestigiis: quorsum et sequentia illa retulerim de vulnere imprimendo, deque certo ad hos ictus destinato loco.

8 *spiritus*, scilicet hominum, aliter hac in re comparatorum, atque elephanti.

utique. Particulae vis haec esse videtur: etiamsi in alto latere spiritum concedamus, non certe, non profecto ferro eruendus est; potest aliis multis rebus anima intercipi.

vuln. impr. pen. i. e. *vulnere profundo:* de quo et illud exquisitum, *scrutanda*, quemadmodum in *Oed. vs.* 965:

„ Scrutatur avidus manibus uncis lumina."

nodus. Ornate pro laqueo, qui in nodum nectitur.

haustus ignis. Lips. „ Quod Porcia Bruti uxor fecit." De quo Plut. *Brut. in f.* Et eleganti Epigrammate Martial. I, 43:

„ Conjugis audisset fatum cum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quaereret arma dolor;
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas:
I nunc, et ferrum, turba molesta, nega."

EMENDANDA ET ADDENDA.

In Praefatione.

Pag. 7. Taciti de rerum humanarum gubernatione sententiam cognoscas item ex *Ann.* VI, 22.

Pag. 9 *lin.* 5 *sive t.* leg. *sine.*

Pag 10. De appellatione „virorum optime" cf. *Selecta e schol.* Valcken. *in N. Test. tom.* I. *p.* 14. ibique Wassenb.

In Contextu et Var. lect.

Pag. 33 *lin.* 2. Lovaniensis editio, cujus memini *Annot. p.* 2, lectionem habet: „syderum certum cursum et discursum."

Ib. lin. 25. *labentis* est etiam in Edit. Lov.

Pag. 35 *lin.* 15. *Deum.* Hanc notulam typographi perperam cum antecedenti continuarunt.

Pag. 37 *lin.* 21. *Et* omissum etiam cum in Ed. Lov. tum ab Erasmo in *Floribus excerptis*, qui sic interpunxit: „quis autem vir, modo erectus" cet.

Pag. 38 *lin.* 17. *Quanta sit*, cet. Nostrae lectioni consentit Erasmus.

Ib. lin. 24. *fac. id bon.* leg. *fac. id. bon.*

Pag. 39 *lin.* 12. *Paternum Deus habet.* Ita quoque Erasmus. Idem mox: „et operibus, doloribus ac damnis exagitat."

Pag. 40 *lin.* 24. *si quando i. e.* leg. *si quando i. c.* (*imp. capiunt*). Schottus et Ed. Lov. si „quando voluptatem capiunt Dii, dum spectant."

Pag. 42 *lin.* 28. *Cod. Leid.* leg. *Codd. Leidd.*

Pag.

Pag. 48 *lin.* 13. *boni: persuadebo*: leg. *boni. Persuadebo.*

Ib. lin. 23. *et:* leg. *est.*

Pag. 44 *lin.* 2. *deduci liberos:* leg. *deduci, liberos.*

Pag. 51 *lin.* 2. *constititit* leg. *constitit.*

Ib. lin. 4. *exs. vir. aut dub.* Omiserunt haec Schott. et Ed. Lov.

Pag. 52. *lin.* 17. *ex:* leg. *et.*

Pag. 53 *lin.* 6. *quod nunquam.* Erasmus: „ quod non fuisti miser; transegisti sine" cet. Idem mox: „ quod quidem quisque posset".

Pag. 56 *lin.* 9. *sua* Schott. omisit.

Pag. 58 *lin.* 19. *Id* addidit etiam Er.

Pag. 61 *lin.* 24. *turpissimus:* leg. *turpissimis.*

Pag. 62 *lin.* 5. *campo:* leg. *Campo.*

Ib. lin. 15. *adsum. Vultis.* Inter has voces perperam exciderunt haec: „ Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli."

Pag. 65 *lin.* 13. *animum terr.* Sch. „ animum metu territare."

Pag. 66 *lin.* 23. *tuto:* leg. *tuta.*

Pag. 67 *lin.* 2. *cuum:* leg. *cum.*

Ib. lin. 4. *ut alios.* Sch. „ ut etiam alios."

Ib. lin. 24. Fabr. *adornavi.* Similiter Erasmus.

Pag. 68 *lin.* 24. *ut:* leg. *sit.* Ad prius autem *est* haec notula pertinet, in iis „ hoc est, quo" cet.

Pag. 69 *lin.* 16. *penitus* Sch. praetermisit.

In Annotatione.

Pag. 1. De usu particulae εἶτα cf. monitum Wytt. *ad Phaed. p.* 218.

Pag.

Pag. 8. *lin.* 15. *servari:* leg. *servavi.*
Pag. 19 *lin.* 30. *conscendit:* leg. *conscendere.*
Pag. 42 *lin.* 32. *reddit:* leg. *rediit.*
Ib. *causam — seculis.* Simili argumento Socratis mors optabilis videbatur Phaedro *Fab.* III, 9 *vs.* 5, 6:

„ Cujus non fugio mortem, si famam assequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis."

Pag. 46. De Regulo duos nuper in Germania prodiisse libellos, indicavit mihi *Amic.* Suringar, his titulis: Roos, *de suppliciis, quibus M. Attilius Regulus Carthagine dicitur interfectus:* et Fikenscher, *num M. Attilius Regulus a Carthaginiensibus supplicio affectus sit?* E nostratibus haud ita pridem eruditus juvenis H. Reiger quaestionem illam persecutus est, cujus disputatio legitur in *Viri Cl.* Brinkii sylloge *Bibliotheek van oude Letterkunde*, II *deel* 4 *stuk.*
Pag. 49. *gemma.* De omissa praepositione vid. Broukh. *ad Prop.* I, 14. *vs.* 2.
Pag. 51 *lin.* 32. *sentens:* leg. *sentiens.* Vocem *plebis* eodem sensu posuit Ovid. *Metam.* XII, 601. sq.

„ Quid spicula perdis
Sanguine plebis? ait."

Pag. 55 *lin.* 25. *Gubernatorem — intelligas.* Similis est locus Basilii Magni *de fame et siccitate f.* 177, laudatus ab Elmenh. *ad Minuc. Fel. p.* 337: „ Κυβερνήτην μὲν γὰρ ὁ χειμὼν, καὶ τὸν ἀθλητὴν τὸ στάδιον, τὸν στρατηγὸν παρά-

τάξις

ταξις, τὸν μεγαλόψυχον ἡ συμφορὰ, τὸν Χριστιανὸν δὲ πειρασμὸς δοκιμάζει καὶ βασανίζει."

Pag. 66. *inopia fortioribus.* Hunc locum Gron. *Obs.* II, 2 adhibuit ad vindicandam in Cic. *de Nat. D.* I, 1 veterem lectionem: „quid enim temeritate fortius?" ubi *tem.* positum existimat pro *temere agendo*, *per temeritatem*, hoc sensu: „quid enim juvat quamcunque causam temeritas?" Quae quidem interpretatio simplicitate carere mihi videtur, et Ciceronis consuetudine refelli, apud quem tali forma comprehensa solet esse comparatio, modo addito, plerumque subaudito verbo *est*, ut *de Sen.* 9: „quid enim est jucundius senectute, stipata" cet. *Ib.* 19: „quid enim stultius, quam incerta" cet. *De Amic.* 6: „quid dulcius, quam habere" cet. Tum vix persuadere mihi possum, ullum bonum scriptorem, nedum Ciceronem, si tale quid voluisset, quale putat Gron. id ita jejune et obscure dicturum fuisse. Quare malim Davisii lectionem *turpius*, praesertim nonnullis, Ernestio teste, Mstis firmatam. In quo tamen illud jure mireris, quid librarios induxerit, ut *turpius* in *fortius* mutarent.

Pag. 82. *scripsit — jussit.* Attigit hunc locum Wytt. *ad Plut. de sera num. vind. ann. p.* 107.

Pag. 85. *dura — ipse.* Similiter *Epist.* XCVIII, 8: „rectus atque integer corrigit prava fortunae; et dura atque aspera ferendi scientia mollit."